QUAESTIONES AUSONIANAE.

DISSERTATIO
INAUGURALIS PHILOLOGICA

QUAM SCIRPSIT

ET

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

CONSENSU ET AUCTORITATE

IN

ALMA LITERARUM UNIVERSITATE VIADRINA

AD SUMMOS

IN PHILOSOPHIA HONORES

RITE CAPESSENDOS

DIE XXI. M. DECEMBRIS A. MDCCCLXXIV, HORA XII

IN AULA MINORE

PUBLICE DEFENDET

HERMANNUS SPECK

SILESIUS.

ADVERSARIORUM PARTES SUSCIPIENT:

CAROLUS MITTELHAUS, DR. PHIL.
CAROLUS WOLFF, DRD. PHIL.
HERMANNUS KOTHE, DRD. PHIL.

VRATISLAVIAE.
TYPIS F. W. JUNGFERI.

MARTINO HERTZ

SACRUM.

I.

DE AUSONII RELIGIONE AGITUR.

Quibus parentibus Ausonius, poeta Burdigalensis, natus esset, quem ad gradum dignitatum paulatim ascendisset, quibus muneribus, quo tempore, quamdiu functus esset, cum omnes viri docti, qui de vita eius scripserunt, tum Boeckingius[1]) temporum imperii Romani iam cadentis guarissimus tam accurate et congruenter exposuerunt, ut ligna me silvis allaturum esse arbitrer, si haec aut repeterem aut iterum anquirerem. De religione autem Ausonii inter eosdem viros mirum in modum discrepat neque adhuc satis firmo iudicio haec res diiudicata est. Qui viri Ausonium Christianum fuisse putaverunt, in eundem omnes errorem videntur incidisse, ut duobus poetae nostri carminibus[2]) commoti quasi «a priori» illud, quod probaturi erant, verum esse sibi persuaderent. Quod quidem in Elia Vineto, Josepho Scaligero, Souchaeo[3]), aliis haud ita mirum est, cum tanta Ausonii admiratione affecti essent eumque in eadem patria genitum tanto amore complecterentur, ut laudem poetae eo magis augeri putarent, si eum Christianum fuisse probarent. Itaque ex principio prompti ad hoc credendum duobus illis poematis freti ea, quae ex scriptis ipsius poetae vel aliis de causis opponi poterant, levia arbitrati facile aut reicienda aut quamvis contorte ad sententias suas accommodanda censuerunt. Contra alii numero minores, auctoritate

---

[1]) Jahrbücher des vereins von alterthumsfreunden im rheinlande VII. Moselgedichte des Decimus Magnus Ausonius und des Venantius Honorius Clementianus Fortunatus, lateinisch und deutsch. Bonn 1845. p. 60—68.

[2]) Ephemeridis precatione et Idyllio I.

[3]) Cf. praefationes et vitas, quas hi viri editionibus suis operum Ausouii adscripserunt.

fere pares: Ludovicus Antonius Muratorius[1], Gerardus Joannes Vossius[2], Brietius[3], alii[4]) Ausonium ethnicum et duo illa poemata spuria habuerunt, quorum sententiis etiam Gibbon satis aperte assentitur, qui Ausonium „einen ausgemachten heiden“ appellat[5]. Recentiorum scriptorum Boeckingius[6] ipse, qui Ausonium Christianum fuisse putat, hanc quaestionem parum recte instituisse videatur necesse est, praesertim cum de nonnullis rebus huc pertinentibus, quae paucis verbis disceptari nequeunt, festivius et brevius quam rectius disseruerit. Bähr[7], Bernhardy[8], Teuffel[9], Richter[10], Kaufmann[11], alii, quos minores omitto, Boeckingii sententiam approbarunt; v. Oppen[12] non satis dilucide sententiam dixit, Bacmeister[13], quamquam elegantissime Ausonii poemata in Bissulam et quasdam Mosellae partes in nostrum sermonem transtulit, de Ausonii vita et religione mirum in modum hariolatus est. Quae cum ita sint et cum omnes illi viri de hac quaestione quasi appendicis loco disputaverint nec propius ad eam accesserint, fusius atque accuratius hanc rem exponere conabimur.

Decimus Magnus Ausonius natus est Burdigalae primo decennio quarti post Christum saeculi patre Julio, medico clarissimo[14] atque litterarum cum maxime Graecarum studiosissimo et peritissimo[15] et matre Aemilia Aeonia, filia Caecilii Argicii Arborii, orta e nobili gente Sequanensi[16]. Julium Ausonium ii ipsi, qui filium Christianum fuisse dixerunt, fidem professum esse Christianam contendere non ausi sunt neque ulla re adducimur, ut hoc putemus. Nam Ausonius, qui et Parentalium primo carmine et epicedio[17] fusius de patre

---

1) Anecdota bibl. Ambros. tom. I. p. 114.
2) De poet. Lat. p. 55.
3) De poet. Lat. IV. p. 50.
4) Cf. Souchaei in editione Ausonii dissertationem de vita et scriptis poetae nostri p. XXIV.
5) Geschichte des verfalls u. untergangs des röm. weltreichs, übers. v. Sporschil. Leipzig 1837. p. 887, a.
6) l. l. pag. 66—68.
7) Röm. litteraturgesch. ed. IV. vol. I. § 614.
8) Grundriss d. röm. litterat. ed. V. pag. 667.
9) Röm. litteraturgesch. ed. II. § 414.4; Paully, Realencyclopaedie etc. s. v. Ausonius.
10) Das westr. reich besonders unter den kaisern Gratian, Valentinian II. u. Maximus. Berlin 1865. pag. 296.
11) Historisches Taschenbuch von Fr. v. Raumer; IV. folge, X. jahrgang 1869. pag. 10.
12) Mosella übers. u. erklaert. Köln 1837. p. 44.
13) Alemannische wanderungen I. Stuttgart 1867. pag. 76—92.
14) Aus. Parent. I.
15) Idyll. II, 9. 10.
16) Parent. II.
17) Idyll. II.

eiusque virtutibus disputat atque omnes laudes ei tam affatim tribuit, ut vero paene excedere videatur, nullo loco patrem Christianum fuisse docet. Quodsi Julius Ausonius Christianus fuisset, filius, qui mores eius acuratissime describit, sane hanc occasionem patris etiam maioribus laudibus efferendi nunquam omissurum fuisse putandum est, praesertim si ipse fidei Christianae addictus fuisset. Itaque iam ex hac filii silentia patrem ethnicum fuisse suspicari licet. Praeterea autem sententia nostra etiam eo stabilitur, quod Ausonii pater propter eruditionem Graecam et studium litterarum Graecarum laudatur; nam eo ipso tempore Christiani has litteras, quibus cum aliae philosophorum scholae tum Academia adolescentior et Stoici nitebantur, tanquam veteris religionis firmissima munimenta, fidei ipsorum infestissima, odio persequebantur acerrimo[1]). Itaque si ea, quae Ausonius de patris moribus dicit, cum hoc litterarum Graecarum studio comparamus. si legimus Julium Ausonium ad certas atque constitutas leges vitam instruxisse, iudicio bonorum satisfacere studuisse, virtutes ob eas ipsas, non poenae metu commotum, coluisse, paucis bonis contentum nemini invidisse, litibus atque factionibus abstinuisse, semper sibi constantem fuisse[2]), ut ab aequalibus cum septem illis sapientibus Graecis conferretur[3]), haud difficile intellegimus Ausonii patrem doctrinas et praecepta philosophiae Graecae secutum religionis Christianae studiosum minime fuisse. Quod plane quadrat in verba Ausonii, quae de patre facit[4]): (Sapientium)

«Quorum doctrinam moribus excoluit:
Viveret ut potius quam diceret arte sophorum,
Quamquam et facundo non rudis ingenio.»

Denique quod postea Julius Ausonius a Valentiniano primo in palatium accitus est, sententiae nostrae non repugnat. Nam primum hunc imperatorem, quamvis ipse religioni Christianae indulgeret, tamen aequissimo et patientissimo animo adversus omnes veteris religionis studiosos fuisse litterasque diligentissime coluisse constat[5]); deinde Valentinianum, qua prudentia et ratione usus est, certo confidere possumus eum sibi medicum electurum fuisse, qui, sicut Ausonii pater, et arte medendi excelleret et fama maxime celebraretur, neque quaesiturum

---

[1]) Cf. Richter, das weström. reich etc. p. 147 et 155. Hasse, kirchengeschichte ed. Köhler vol. I. p. 39. Leipzig 1864.
Paulinus Nolanus, qui cum Christo plane se dedisset, confestim his studiis abalienatus est (cf. Mignii Patrologiae vol. LXI. p. 453.)

[2]) Idyll. II, 8. 13. 17. 19. 21. 33 etc.

[3]) Parent. I, 9.

[4]) Parent. I, 10—12.

[5]) Richter, das weström. reich etc. p. 252 et 254. Böcking, vita Auson. p. 67.

fuisse, utrum Christianus esset necne, praesertim cum illo tempore summa eruditio atque ars penes ethnicos esset[1]).

Matrem Aemiliam Aeoniam Ausonius paucis tantum verbis commemorat[2]), quibus pudicitiam, diligentiam, fidem eius laudat, de religione nihil dicit.

Longius disserit de avunculo Aemilio Magno Arborio[3]), a quo Tolosae inde a puero educatus et omnibus iis artibus litterisque ornatus est, quibus tum puerilis aetas ad humanitatem informari solebat[4]). Ex cognomine autem «Palladiae», quo Tolosa nominatur[5]), recte, sicut Souchaeus dicit[6]), effici potest hac in urbe vel artes, quibus Minerva dea praeesset, imprimis floruisse vel etiam hanc urbem sub peculiari huius deae tutela fuisse, id quod docemur ab Ausonio ipso, qui in numero professorum nobilium nonnullos Tolosates nominat. Utique hac in urbe Minervae sacra religionem Christianam haud ita cultam esse verisimile est, praesertim cum in Gallia tum perpauci modo Christiani essent[7]). Quae opinio nostra fulcitur etiam magis epistula Apollinaris Sidonii[8]), qui narrat Saturninum Tolosatum cathedram tenentem, qui Jovem ac Minervam negaverat crucisque Christi bona confessus erat, a Tolosatibus furibundis crudelissimo supplicio affectum esse, id quod sub finem tertii p. Ch. n. saeculi factum esse constat[9]). Quodsi Ausonius laudat viros doctos Tolosae avunculum sibi ipsis praetulisse et plurimi aestimasse[10]), deinde si memoria tenemus, quantopere Tolosates religionem Christianam se odisse haud ita multo tempore ante in Saturnino docuerint, quis est, qui avunculum Ausonii eo tempore, quo sororis filium educavit[11]), fidem Christianam professum esse affirmet? Praeterea vix quisquam docere poterit ante annum 325 rhetores Christianos fuisse. In hanc autem, quam probavimus religionem ethnicam Caecilii Arborii, quadrare non videtur, quod soror eius Aemilia Hilaria ab Ausonio «virgo devota»[12]) nominatur, quam vocem plurimi viri docti, a quorum partibus Boeckingius[13]) stat,

---

[1]) Richter l. l. p. 125.
[2]) Parent. II.
[3]) Par. III. et Prof. XVI.
[4]) Par. III, 10.
[5]) Par. III, 11 et Prof. XVII, 7.
[6]) in editione Ausonii operum p. 106.
[7]) Buse, Paulin, bischof von Nola, u. seine Zeit. Regensburg 1856. vol. I. p. 51.
[8]) lib. IX. epist. 16.
[9]) Cf. Herzog, Realencylopaedie für protestantische theologie und kirche s. v. Saturninus.
[10]) Par. III, 11.
[11]) Id est altero et tertio decennio quarti p. Ch. saeculi.
[12]) Par. VI.
[13]) Cf. Boeckingii vitam Ausonii pag. 68.

ita interpretantur, ut Aemilia Hilaria virgo Christo sacrata fuerit. Sed si sine opinione praeiudicata sextum Parentalium carmen perlegerimus, ubi Ausonius narrat materteram iam inde a tenerrima aetate pueri admodum instar fuisse, more virorum medicinae studuisse, semper a sexu feminarum abhorruisse, quin etiam doluisse, quod non pueri loco nata esset, sane non admirabimur nec religione Christianae tribuemus, quod officia, quae matrimonio suscipienda erant, animo eius virili magnopere displicebant. Facile igitur intellegitur eam virginem se mansuram esse vovisse, non quo summo Christi amore inflammata esset, sed quia vita coniugalis toti eius indoli atque naturae repugnabat. Sororum, quae his animis non erant, altera Ausonii patri nupserat, alteram Aemiliam Dryadiam invida morte thalamo et taedis iugalibus ereptam esse Ausonius narrat[1]). Fortasse etiam Aemilia Hilaria exemplis intemperantiae atque morum corruptela depravatorum, quae in urbibus Galliae non raro inveniebantur[2]), deterrita est, ne nuberet. Denique si vocem «devota» accuratius inspicimus, apud Ausonium iterum invenimus idyllii primi versu secundo, ubi idem fere significat, quod «pia». Sed illo loco haec significatio modo ex tota verborum sententia oritur, id quod nostro Parentalium loco minime fit. Praeterea si Forcellinii lexicon et glossarium mediae et infimae latinitatis, quod Du Cange edidit, comparaveris, invenies vocem „devotam virgninem“ voce «deo» omissa hoc significare non posse, quod Boeckingius vult, nisi in paragraphis conciliorum longe posterioris aetatis, qua quidem re in nostrum locum[3]) nihil probatur.

Quod Boeckingius dicit: «Ja, hatten doch seine tanten nonnen, Aemilia Hilaria und Julia Cataphronia, auf seine erziehung einen einfluss, den er noch in den spätgedichteten Parentalien dankbar anerkennt», de Aemilia Hilaria verba iam fecimus et docuimus ab hac Ausonium ad religionem Christianam quidem non educatum esse; sed unde Boeckingius concluserit etiam Juliam Cataphroniam educandi Ausonii participem fuisse, plane nescio. Nam Ausonius nec Parentalium neque alio loco quidquam de hac re dicit, sed modo laudat illam sibi «quamvis de paupere summa (sc. argenti) aliquam partem dedisse[4]) atque hanc ob causam[5]) sibi commemorandam esse.»

Deinde hanc amitam in Arborii domo Tolosae, ubi Ausonius educatus est, vixisse nisi hariolatione a vero valde

---

[1]) Par. 25, 5. 6.
[2]) Buse, Paulin u. seine Zeit I, 53.
[3]) Par. 6.
[4]) Par. 26, 5.
[5]) Par. 26, 7. ergo .....

remota colligi non potest, atque apparet Boeckingium neglexisse Aemiliam Hilariam materteram, Juliam Cataphroniam amitam Ausonii fuisse, id quod sane in nostro sermone, ubi eadem vox utrumque significat, non distinguitur.

Cum igitur de ceteris cognatis Ausonius in Parentalibus nihil commemoraverit, quod ullo modo ad religionem Christianem referri posset, sane vix errabimus, si negabimus vel parentes cognatosque vel Ausonium ipsum, donec ad palatium Valentiniani vocatus esset, fidem Christianam professum esse. Nam neque ipse narrat se eo tempore, quo Burdigalae grammatici et rhetoris munere fungebatur, ad sacra Christiana confugisse neque ab imperatoribus, ut hoc faceret, coactus esse putandus est, quia Gallia usque ad Constantini Magni tempora semper indulgentissimis Caesaribus paruerat[1]) et Constantinus ipse, quamvis Christianis faveret, tamen nullo modo ethnicos offendere ausus erat, quippe qui numero longe superiores essent[2]). Immo vero sacerdotum ethnicorum collegiis, sicut antea factum erat, annuam pecuniam solvebat, qua deorum splendorem veterem servarent ipsorumque vitam sustentarent[3]). Magnam copiam templorum diis veteribus Byzantii exstruxerat, totam per vitam pontificis maximi munere functus una cum hoc munere auctoritatis deorum amplificandae officium susceperat.[4]) Quibus rebus optime docetur a Constantino imperatore ethnicos prae Christianis neglectos omnino non fuisse. Posteriores imperatores, etiamsi passim templum alicuius dei claudi iusserunt, ut opes ibi accumulatas in potestatem suam redigerent[5]), ethnicos ipsos turbari non passi sunt, dummodo quiete se haberent tumultuque abstinerent. Quin etiam summi magistratus per ethnicos administrabantur, penes quos summa eruditio reique militaris scientia esset[6]), et usque ad finem saeculi quarti longe maximam partem senatorum veteri religioni indulsisse constat[7]). Itaque ex eo, quod Ausonius anno 379 p. Chr. n. consul fuit paucisque annis antea aliis dignitatibus ornatus est, minime effici potest eum fuisse Christianum, praesertim cum etiam Symmachus anno 391, quem quidem omnes veteris religionis studiosissimum fuisse consentiunt, consulatum gesserit[8]).

Transeamus iam ad Valentiniani primi societatem, quam cum poeta nostro habuit et videamus, quid iudicandum sit

---

[1]) Richter, das weström. reich. p. 59.
[2]) Ibidem p. 85.
[3]) Richter l. l. p. 87. 88.
[4]) Richter l. l. p. 87.
[5]) Id. p. 104 et 126.
[6]) Id. p. 125.
[7]) Burckhardt, die zeit Constantins des grossen. Basel 1853. pag. 492.
[8]) Teuffel, röm. litterat. II. § 418.

de sententia eorum, qui Ausonium, nisi Christianus fuisset, ad Valentiniani palatium acciri non potuisse contendunt. Qui imperator, quamquam amore magno religionem Christianam amplectebatur, tamen indulgentissimus et iustissimus in iis rebus, quae ad religionem pertinebant, ab omnibus celebratur, qui imperio eius parebant[1]); praeterea Themistius[2]) eum quoque studiis humanis magnopere deditum fuisse tradit, quae quidem, sicut Richter optime describit, a Christianis, perpaucis modo exceptis, plane neglegebantur[3]). Itaque si filium Gratianum omnibus iis artibus litterisque bene informari volebat, quibus se puerum non eruditum atque institutum esse saepe dolebat[4]), sane non Christianum eligere potuit, sed eum ad se vocare debuit, qui non modo ipse illis artibus maxime excelleret, sed etiam facultatem optimam docendi praeberet. Cum vero fama dilatatum esset utramque virtutem coniunctam esse in Ausonio, qui tunc Burdigalae rhetoris munere fungebatur, cum virorum ingeniosorum magna inopia esset[5]), qui iidem ad docendum idonei essent, cum pater Julius Ausonius summa imperatoris gratia frueretur, non mirum, quod Valentinianus ipsum poetam nostrum maxime dignum putavit, qui Gratianum filium ad humanitatem educaret. Nam Ausonius quoque morum integritate excellebat, quamquam multi hanc ei plane abiudicandam esse existimarunt, quia centonem illum nuptialem[6]) et carmina quaedam paulo lasciviora[7]) in lucem prodidit, a quo crimine rectissime eum defendit Boeckingius[8]).

Religionis vero Christianae Gratianus Ambrosio, episcopo Mediolanensi, praeceptore usus est, quem summo amore per totam vitam amplexus, quem de gravissimis rebus ad imperium pertinentibus consulere solitus est, quem ne morte sua dolore afficeret, magis quam mortem ipsam timuit[9]). Huic viro sane tota illa pietas tribuenda est, qua Gratianus religionem Christianam colebat, cum Ausonii praeceptis factum esse putemus, ut nunquam imperator litteris deesset, sed post belli labores peractos libenter musarum artibus animum relaxaret[10]). Nam Ausonium huius pietatis Christianae Gratiani auctorem haberi,

---

[1]) Richter, d. w. R. p. 254.
[2]) orat. VI. 72.
[3]) Richter p. 254.
[4]) Idem p. 296.
[5]) Buse, Paulin u. seine Zeit I. p. 127.
[6]) Idyll. XIII.
[7]) Epigr. 70, 71, 90, 108, 119, 120, 123—28, 131.
[8]) Cf. Vitam Ausonii pag. 67. Kaufmann (v. Raumers hist. taschenbuch IV, 10.) pag. 26.
[9]) Buse, Paulinus Nolanus u. seine Zeit. vol. I. pag. 114.
[10]) Auson. epigr. I. Richter, d. weström. reich. pag. 517.

id quod nonnulli, inter quos Souchaeum invenimus, faciendum putarunt, plane ridiculum est, cum ii ipsi, qui Ausonium sacris religionis Christianae addictum fuisse confirmant, consentiant eum huius religionis minime tenacem fuisse, sed saepissime in sententias ethnicas recidisse[1]). Itaque etiamsi Ausonius Christianus fuisset, tamen Gratianum illa pietate Christiana nunquam imbuere potuisset. Deinde quod Gratianus Ausonium summis honoribus et adeo consulatu ornavit, ut praeceptori, quem propter ingenium et mores plurimi aestimavit quemque honorum avidissimum esse non ignoravit, gratiam referret, non mirum est neque ullo modo ad religionem Ausonii pertinet, cum Gratianum eosdem fere honores etiam aliis, quibus nullius rei gratiam habuit quosque ethnicos fuisse traditum est, tribuisse constet[2]). Praeterea Gratianus, cuius indulgentiam Ausonius ipse praedicat[3]), primis, quibus imperium tenuit annis, magis in eos Christianos invectus est, qui symbolum Nicaenum suscipere nolebant[4]), quam in ethnicos ipsos, quibus summi honores atque magistratus semper patebant[5]), dummodo ne ea, quae imperator fecerat vel fieri iusserat, sermonibus vituperarent. Itaque si nobiscum reputamus tantum afuisse, ut Ausonius, qui gratia imperatoris nihil magis appetendum censuit, quidquam contra religionem imperatoris diceret, ut saepius verba sua ad illam accommodare studeret[6]); deinde si Gratiani indulgentem et mitem animum litterarumque amorem memoria tenemus, num imperatorem consulatu praeceptorem dilectissimum ornaturum fuisse negabimus, si ille ethnicus exstitisset? Paullo post Gratianum anno 382[7]) interfectum Theodosius imperator epistulam, quae ad nostram memoriam pervenit, Ausonio misit, qua ingenium eius admiratur atque ab eo petit «ne se scriptorum lectione fraudari patiatur,» quae tamen ad religionem Christianam Ausonii probandam vix ullius momenti est. Itaque ut breviter summam huius partis opusculi nostri attingamus, dicendum nobis est ex ea societate, quam Ausonius cum imperatoribus habuit, divinari sane posse, sed minime oportere Ausonium religionis Christianae studiosum fuisse.

Idem fere sequitur ex Ausonii cum Symmacho inita amicitia, qua quidem ad ethnicam religionem Ausonii probandam

---

[1]) Boecking. pag. 67 etc. Cf. annotationes ad secundam huius dissertationis paginam.

[2]) Cf. dignitates, quas Symmachus, Praetextatus, alii adepti sunt.

[3]) Gratiarum actionis pag. 286. edit. Bipont.

[4]) Richter, das weström. reich pag. 326, 367.

[5]) Idem l. l. pag. 327 et 371.

[6]) Cf. dissertationis nostrae finem huius capitis.

[7]) Richter, das weström. reich. pag. 574. Buse, Paulin u. seine Zeit I. p. 114.

uti Boeckingius plane ridiculum esse censet[1]. Atque sane, si quis contenderet Ausonium ob id Christianum fuisse non posse, quod cum viro veteris religionis studiosissimo amicitiam iunxisset, Boeckingius iure suo id ridiculum haberet. Sed si epistulas, quas Symmachus ad Ausonium satis multas dedit, accuratius inspicimus, si videmus quam firmo amicitiae et amoris vinculo coniuncti blandissimis nominibus alter alterum appellare soliti sint[2], nescio an non ridiculum sit Ausonium ethnicum putari. Cum enim non ignoremus Symmachum acerrimum propugnatorem veteris religionis exstitisse eiusque servandae tanto ardore inflammatum fuisse, ut coram imperatore religioni Christianae dedito eam defendere non dubitaret[3]; deinde cum Symmachus ipse dicat[4]: «nunc aris deesse Romanos genus est ambiendi», num eum propter solum ingenii meritum Ausonium tanto amore complexurum fuisse veri est simile, nisi etiam de rebus, quae ad religionem pertinent, uterque idem sensisset.

Sed hanc Ausonii cum Symmacho amicitiam plane obscurari putat Boeckingius[5] amicitia Paulini, quae una cum quinque illis epistulis, quarum tres ab Ausonio, duas a Paulino scriptas etiam nunc habemus, tam saepe ad religionem Christianam Ausonii vel affirmandam vel negandam adhibita est, ut propius ad eam nobis accedendum sit. Meropius Pontius Anicius Paulinus anno 353 p. Ch. n. Burdigalae natus est, et parentes eius a nobilissima gente eaque senatoria duxerunt originem[6]. Sed ante annum 378, quo Nolae versatus ad sepulcrum Sancti Felicis accessit[7] quoque in numerum catechumenorum receptus est, non habemus, cur Paulinum Christianum fuisse arbitremur. Quae sententia minime refutatur a Busio[8], quamvis dubitari posse neget, quin parentes Paulini fidem Christianam professi sint. Nititur enim ad hanc opinionem probandam duodecima Paulini epistula, qua narrat se libertinum Burdigalam misisse, qui obsequiis parentum ritu Christiano celebrandis adesset. Sed quamquam hac epistula concludi potest Paulini parentes eo tempore, quo mortui sunt, fidem professos esse Christianam, tamen hoc minime manifestum est. Nam certo constat[9] parentes Paulini, imprimis matrem, aetate iam

---

[1] Vita Ausonii pag. 67.
[2] Cf. Symmachi libri I. epistulas XVI, XXII, XXVIII, XXXI, XXXXIII. et Ausonii epistulam XVII. ad Symmachum datam.
[3] Epist. X, 61.
[4] Epist. I, 51.
[5] In vitae Auson. pag. 68.
[6] Buse, Paulin u. seine zeit I. pag. 39 sq.
[7] Ibidem I. pag. 84 sq.
[8] Ibidem I. pag. 40.
[9] Buse, l. l. I. pag. 41.

valde provectos e vita decessisse, cum filius iam ad sacra Christiana confugisset. Itaque si Paulinus obsequia parentibus celebrare voluit, more ethnico omnino non potuit, sed eo more debuit, qui ad suam religionem aptus esset, sive parentes usque ad mortem religioni veteri adhaesisse sive ante mortem Christianos iam factos esse credimus. Praeterea etiamsi posteriorem hanc sententiam probamus, nihil aliud constat nisi parentes fortasse exemplo et auctoritate filii ad sacra Christiana esse adductos; nullo autem modo pro certo confirmare possumus Paulini parentes iam anno 353 Christianos fuisse et filium ab iis hanc religionem suscepisse. Scimus enim Paulinum philosophiae summam operam navasse[1]) et postea demum, cum omnibus doctrinis philosophiae ei non satisfactum esset, ad fidem Christianam se convertisse. Quo tempore Paulinus ab Ausonio, quo iam paterno amico utebatur[2]), docebatur et educabatur, certo ad religionem Christianam non accesserat. Mox praeceptor et discipulus, quamvis dispares essent aetate, artissimo amoris vinculo tenebantur, quod in dies firmius fiebat, cum Paulinus omnibus Ausonii praeceptis et doctrinis excellentes ingenii facultates offerret et elegantia versuum atque sermonis praeceptorem se mox aequaturum esse perspicue doceret. Neque haec amicitia languit, cum Ausonius ad Gratianum educandum a Valentiniano evocaretur, sed anno 378 Ausonius, quanta Gratiani gratia usus est, maximo cum gaudio suo impetravit, ut Paulinus Valenti imperatori mortuo consul sufficeretur[3]). Gratiano mortuo cum Paulinus villae Ausonii finitimam incoleret, suavissimum interse habebant commercium: dona mittebant, poemata dedicabant invicemque corrigenda curabant, saepissime conveniebant[4]). Nam Paulinus quamquam in numerum catechumenorum receptus Therasiam uxorem Christo deditam in matrimonium duxerat, tamen, cum inde a puero nobili loco vivere consuevisset cumque sententiarum atque voluptatum, quibus nobilissimi ethnici utebantur, socius fuisset[5]), non habuit, cur a praeceptore dilectissimo abalienaretur, qui etiam morum integritate vitaeque honestate excelleret et religioni Christianae, quamquam non ipse eam profitebatur, tamen haud ita infestus esset. Immo vero Paulinus, ut ipse pluribus locis confitetur[6]), Ausonio et eruditionem et dignitates debebat omnique modo

---

[1]) Buse, l. l. I. pag. 74 sq.
[2]) Ibidem I. pag. 68.
[3]) Ibidem I. pag. 359—61.
[4]) Cf. Buse, l. l. I. pag. 121.
[5]) Idem I. pag. 127.
[6]) Imprimis conferendi sunt Paulini carm. X. versus 93 et sequentes (Migne Patrologie LXI.)

ei gratiam referre studebat; quin etiam tanti Ausonium aestimabat tantaque eum verecundia colebat, ut ne vultu quidem eum offendere vel dolore afficere auderet[1]). Quae rerum condicio satis celeriter immutata est, cum Paulinus sacris Christianis per sacrum lavacrum initiatus esset totumque se Christo dedisset, et nunc demum apparuit, quam diversis animis Ausonius et Paulinus essent, ut hic bene intellegeret sibi aut Christum aut praeceptorem sequendum esse[2]). In Hispaniam ex Aquitania se receperat, et Ausonius diu sine ullo nuntio permanserat nullasque a Paulino epistulas acceperat: cum subito fama divulgata est Paulinum bona sua inter pauperes divisisse et locis aviis trans montes Pyrenaeos versantem vitam plane ad severissimas religionis Christianae leges se accommodaturum esse vovisse[3]). Quamquam Ausonius nondum omnia sciebat, quamquam nondum suspicabatur Paulinum eo abstinentiae progredi velle, ut litteras, quas antea tanto amore complexus et in quibus tanta cum laude versatus erat, plane abiecturus esset, tamen omni modo Paulinum ab illo consilio deterrere studuit. Tres epistulas trevi temporis spatio intermisso ad eum dedit[4]): Paulinus in silentio perseveravit; quartam acerbissimam misit: denique spatio quattuor fere annorum interiecto binas litteras accepit, quibus Paulinus ad Ausonii crimina respondet vel ea reicere conatur. Utrum postea quoque Ausonius epistulas ad Paulinum dederit an ab illo acceperit dicere non possumus, cum omnino de hac re certi nuntii nos deficiant; sed veri simile est Ausonium haud ita multo tempore post illas epistulas acceptas e vita discessisse et Paulini amorem, quo Ausonium coluerat, si non exstinctum, at certe minutum esse, quia in ceteris scriptis, quae post illud tempus Paulinus in lucem edidit, vix Ausonii ullam memoriam invenies. Quamquam igitur, sicut Scaliger, Bailius, Baronius, Boeckingius, alii recte iudicarunt, ex eo, quod Ausonius consilium Paulini tam acerbe reprehendit, non efficitur eum ethnicum fuisse, cum et hodie et omnibus temporibus etiam inter Christianos eadem verba de monachorum vita facta essent, tamen singulae res, quae his litteris continentur, satis Ausonii religionem ethnicam docent. Quomodo enim Ausonius dicere potuit Paulinum paterni amici fortasse pudere[5]) vel timere, ne sibi amicitia cum Ausonio inita crimini adeo verteretur[6]), si ille Christianus fuisset?

[1]) Buse l. l. I. pag. 122.
[2]) Paul. carminis X, 330 et 331.
[3]) Buse, l. l. I. pag. 169 sq.
[4]) Cf. Migne Patrologie vol. LXI. pag. 452.
[5]) Auson. epist. 23, 67.
[6]) Auson. epist. 23, 30.

Nam nisi religionis Ausonii Paulinum puduisse fingas, vix ullam causam invenias, quoniam poeta noster vir eruditissimus atque honestissimus summisque dignitatibus ornatissimus erat, cuius consuetudo tantum aberat, ut cuiquam ignominiam afferret, ut summae laudi esse deberet. Deinde verba Ausonii[1]:

«Nos studiis animisque iisdem, miracula cunctis» aliter suppleri nequeunt, nisi: «scilicet cum nondum ad severas Christi leges confugisses et mecum in vetere religione et musarum cultu perseverares.» Nonne id ipsum manifestissime Ausonii animum a religione Christiana alienum significat, quod deum deique filium[2]) precibus flecti posse sperat, ut Paulinum ad priorem vitam reducant, quod eos ipsos, quorum leges ille consecuturus fuit, Paulinum quasi a se ipsis aversuros esse putat? Qua re sane Ausonius docet se ad recuperandum Paulinum omnia maria omnesque terras movere paratum esse nec, si voti compotem se fore sperare possit, sua quidquam interesse, utrum Camoenas Musasque an Deum Deique filium precibus commoturus sit? Eandem quoque sententiam habuisse videtur Mignius[3]), qui dicit: «ignoramus an alias ad S. Paulinum epistulas scripserit Ausonius, ut a strictioris vitae instituto eum revocaret: at quae diversis annis carmina seu potius incantamenta fuerunt missa, fecit Deus, ut sero admodum redderentur, quarto scilicet anno, ex quo nihil ab eo litterarum acceperat Paulinus, ut sane validior factus latitantis diaboli insidiis et tentationibus obsisteret.» Quibus verbis satis aperte Mignius confitetur, si Paulinus prius has epistulas accepisset, timendum fuisse, ut adhortationibus illis resisteret; neque hariolemur, si contendamus Paulinum, quia totius vitae condicionem mutaturus erat, cum amicorum tum Ausonii vituperationes et auctoritatem veritum esse et ob eam ipsam rem ex Aquitania in Hispaniam migrasse, ut iam animo corroborato enixius ac magis strenue illis resistere posset[4]). At magis etiam sententia nostra de Ausonii religione probatur epistulis Paulini[5]). Ipse confitetur se priore tempore cum Ausonio Phoebum, Musas, alia numina vocasse, quae surda atque inva-

---

[1]) Epist. 24, 46.

[2]) Epist. 24, 113.

[3]) Patrologiae tom LXI, p. 42 et 43. Hoc loco errorem Teuffelii emendandum esse censeo, qui in historia litterarum Romanarum (II. § 431, 1.) hanc vitam Paulini Muratorio tribuit. Sed cum Mignius omnium annotationum, quas aliunde sumpsit, semper auctores adscribat, hanc autem vitam «ex ipsius Paulini scriptis ac veterum monumentis concinnatam» nominet auctoremque non adscripserit, cur Mignio hanc vitam non tribuam nescire me confiteor.

[4]) Paulini carm. X. 109 sq.

[5]) Carm. X. et XI. (Migne Patrologia LXI.)

lida nunc despiceret[1]; se perversum fuisse et quasi «mortis pabulum»[2]) vixisse, quamquam perversus habitus non esset, nunc vero se Christi ope ad recentem pervenisse vitam neque in alio nisi in Christo solo salutem se invenire posse. Nonne manifestissime apparet Paulinum his verbis dicere velle se caligine veteris religionis obrutum cum Ausonio eodem animo fuisse, sed nunc se longe aliter sentire, cum ad Christi sacra toto confugisset animo? Pluribus quidem locis confitetur[3] se dignitatem, litteras, eloquentiam, alia multa, eas ipsi ingenii facultates, propter quas a Christo libenter receptus sit[4], Ausonio debere et se religionis Christianae praecepta sequentem illum ut praeceptorem semper veneraturum et magni aestimaturum esse promittit[5]; dicit etiam aegerrime se ferre, quod a praeceptore, quem nunquam offenderit, separetur, sed facile intellegitur, cur haec dixerit. Nam si legimus Paulinum aliis locis satis aspere Ausonii crimina reicere et libere confiteri sibi nunc prae Christo amicos et alia omnia esse neglenda[6] neque quidquam sua interesse, utrum iis, qui diversa sequantur, placeat an displiceat, dummodo Christo gratus sit[7], videmus Paulinum ea, quae, ut Ausonio blandiretur, addiderat, modo idcirco scripsisse, quia eum praeceptoris senio gravis miserebat et quia dolori, quo se eum affecisse non ignorabat, quasi medicinam affere volebat. Quamquam eadem epistula gravem iniuriam Ausonio infert dicens lucem Christi obscurari potissimum arte rhetorum,

qui corda falsis atque vanis imbuunt
tantumque linguas instruunt[8]

et in fine eiusdem epistulae, ubi simpliciter dicit:

Si placet hoc, gratare tui spe divite amici:
Si contra est, Christo tantum me linque probari[9].

Quibus ex rebus[10] facile intellegimus Paulinum Ausonio amico carissimo iam amplius uti noluisse et modo senectutis eius habuisse rationem, quod non aperte amicitiam eius recusasset. Deinde etiam ex eo, quod Paulinus tam multis verbis fidei Christianae leges exponit, sane colligi potest Ausonium huius fidei expertem

---

[1]) Carm. X, 20—30.
[2]) Carm. X, 130—35.
[3]) Carm. XI, 50—65. X, 90—95.
[4]) Carm. X, 143 sq.
[5]) Eodem loco 85—90.
[6]) Epist. XI. n. 4 (Migne). Buse, I. p. 168.
[7]) Carm. X. 286 sq.
[8]) Carm. X. 36—40.
[9]) Carm. X. 330—31.
[10]) Cf. Buse. I. pag. 174 sq.
[11]) Carm. X. 120—30; 160 sq.

fuisse; nisi enim fuisset, Paulino modo ad ea crimina respondendum erat, quae ad vitam solitariam pertinebant, cum autem esset, Paulinus omnino sibi religionem suam Christianam excusandam esse censuit.

Nonnulli ut Souchaeus, Bailius, Mignius concluserunt Ausonium religionis Christianae studiosum fuisse, cum inter amoenitates villae sua ecclesiam propinquam enumeraret[1]), id quod plane ridiculum est; nam quisque facile intellegit Ausonium haec omnia eo consilio appellare, ut Paulinum ad se alliciat, et hanc ob rem sperasse Paulinum fortasse facilius commotum iri, ut ad se veniret, si ecclesiam propinquam esse audisset. Etiam magis perversum est, quod imprimis Souchaeus[2]) confirmat Ausonium Christianum fuisse effici verbis Paulini[3]):

«Inque tuo tantus nobis consensus amore est,
Quantus et in Christo connexa mente colendo».

Quae verba, id quod totius sententiae nexus docet, Souchaeus sic interpretatus esse videtur: nos (scil. Paulinus et Ausonius) alter alterum tanto amore complectimur, quanto coniunctim Christum colimus. Sed talem in sententiam haec verba omnino accipi non possunt, cum vox «tuo» obstet cumque Paulinus, si dicere volebat: «nos mutuo amore coniuncti sumus» nunquam hanc vocem adscripturus fuerit. Itaque haec verba aliter verti non possunt, nisi: «nos (scil. ego et altera persona quaedam) te tanto amore complectimur, quanta pietate Christum colimus.» Quodsi consideramus hanc epistulam Paulini potissimum respondere ad Ausonii epistulam XXIII[4]), ubi dixerat Paulinum fortasse a Therasia uxore impediri, quominus ad se veniret litterasve daret apparet hanc alteram personam, quam in voce «nobis» implicitam esse vidimus, nullam aliam esse nisi Therasiam. Itaque Paulinus dicere vult: «suspicio tua, Ausoni, Therasiam tibi infestam esse, plane falsa fuit; tota mea domus, ego uxorque mea tantopere tediligimus, quantopere Christum colimus.» Neque vero Paulini verba:

«Non reor id sano sic displicuisse parenti
Mentis ut errorem credat sic vivere Christo[5]),
Ut Christus sanxit» Ausonium Christianum fuisse

ullo modo probant, cum Paulinus dicturus sit: «nunc, quoniam tibi tam longe et diffuse exposui, quomodo vivam quasque leges sequar[6]) quantumque religio Christiana

---

[1]) Aus. epist. XXIV, 94.
[2]) In editionis suae praefationis pag. XXVI.
[3]) Paul. carm. XI, 18—20.
[4]) Cf. Migne Patrol. LXI. pag. 461.
[5]) Carm. X, 283—85 (Migne).
[6]) Carm. X. 280 sq.

veterem illam ethnicam superet, te, quem sanum semper parentem novi, non amplius crimini mihi hoc versurum esse puto;» invocat modo sanum aequumque Ausonii iudicium, de religione vero eius nihil omnino ex his verbis concludi potest.

Quodsi intelleximus omnibus externis vitae condicionibus maximam partem doceri Ausonium ethnicum fuisse et plane nullis probari eum religioni Christianae indulsisse, sane mirandum est, quod tot viri tamque docti tamen Ausonium Christianum fuisse persuasum habuerunt. Sed quodammodo excusantur duobus illis carminibus, quae identidem iam commemoravimus[1]) quibusque freti sententiam suam se facile probare posse arbitrati sunt. Sed etiam leviter in Ausonii operibus versatos fugere eos non potuit multa inveniri, quae aut religionem Christianam minus redolerent aut plane ei repugnarent. Itaque hanc discrepantiam variis modis explicare conati sunt.

Mignius[2]) dixit: «qui Ausonius, licet Christianus, erat carnalis adhuc homo nesciens, quae sunt spiritus.» Kaufmannus[3]) haec verba facit: «Ausonius war christ; wiederholt benutzt er die gelegenheit, sein orthodoxes glaubensbekenntniss zu offenbaren, aber er dachte und fühlte kaum anders, als sein freund Symmachus, der vertheidiger des alten cultus.» Alii alia sed in eandem fere sententiam iudicarunt, quare tantum abest, ut discrepantia illa tollatur, ut augeatur. Nam quomodo eum virum, qui in precatione matutina Ephemeridis humillimum animum et devotissimam erga Christum pietatem professus esset, alio loco religionis ethnicae studiosum inventum iri putares? Richter[4]) arbitratur Ausonio religionem ethnicam tam fractam visam esse, ut de ea sine ira et studio disputare et pulcherrimam eam sibi materiam poematum sumere auderet, quae quidem sententia omnium, quae prolatae sunt, audacissima toti Ausonii indoli atque naturae repugnans partim iam disputatione nostra refutata est, partim eam ob rem carere sensu videtur, quod omnes consentiunt Ausonium, si Christianus fuerit, tamen veteris religionis doctrinis valde implicitum teneri. Boeckingius hanc rem in tempore ipso positam esse dicit[5]), quo animi hominum nondum ad certas sententias pervenissent et inter veterem et Christianam religionem iactati fuissent; sed etiam hanc sententiam Richteri plane contrariam, quin falsam habeamus, facere non possumus. Nam ii,

---

1) Prec. Ephemer. et Idyll. I.
2) Patrolog. LXI. pag. 42.
3) Kaufmann (hist. Taschenb. v. Raumer) IV. 10. pag. 10.
4) das weström. reich. pag. 296.
5) Vita Aus. p. 67. Cf. Teuffel, hist. litt. § 414, 4.

qui in Christianorum castra transierant, minime, sicut plurimis exemplis docere licet, haesitarunt et fluctuarunt animis, sed fortiter veterem religionem abiecerunt et omnibus viribus oppugnarunt. Deinde minimum studium veteris religionis Christianis illo ipso tempore crimini datum esse[1]) scimus, cum posteriore tempore, quo religionis Christianae leges atque praecepta iam altius in pectora hominum descenderant, idem vix notatum esset. Denique etiam docuimus superiore loco Gratianum multo acrius in Christianos haereticos invectum esse, quam in ethnicos ipsos.

Quae cum ita essent, ii viri, quos supra memoravimus[2]), iam duo illa poemata Ausonii spuria habuerunt, causas autem iustas non protulerunt; quare nos eas affere conabimur. Totum illud opusculum Ausonii, cui nomen Ephemeridis est quodque epigrammata sequi solet, lacunosum modo ad nostram memoriam pervenisse iam primo aspectu neminem fugiet, id quod omnes editiones vocibus, «desunt multa» adscriptis significant. Deinde haec res etiam eo probatur, quod praefatio deest, qua nullum opus Ausonii, quod pluribus partibus constat, caret nisi «ordo nobilium urbium.» Quo quidem in opusculo vix eam desideres, cum voce «ordine» satis eluceat, quid poeta quattuordecim illis carminibus, quae omnia ad hexametri dactylici rhythmum formata sunt, descripturus fuerit. Sed hoc Ephemeridis loco, quo Ausonius, ut recte Wernsdorffius[3]) suspicatus est, varia totius diei negotia totidem variis metris expressurus erat, quibusdam verbis eum praefatum esse vel hoc opusculum alicui dedicasse confidere possumus. Nam Ausonius is vir non fuit, quin, quidquid artis metricae in poematis inerat, longe lateque exponeret, ut artem suam illustraret[4]). Apparet igitur variis in casibus, quos Ausonii opera usque ad nostram memoriam perpessa sunt, etiam hanc Ephemeridis praefationem cum aliis partibus periisse, sicut eiusdem poetae apologos Aesopi et fastos filio Hesperio dedicatos temporum invidia interiisse dolemus[5]). Quae opinio nostra si cui minus probabilis videtur, modo restat, ut putet Ausonium priusquam Ephemeridem perfecisset, morte oppressum et eam ob rem hoc opusculum imperfectum esse relictum. Cum vero historiam criticam operum Ausonii nondum satis exploratam habeamus, cum non ignoremus codices rarissime

---

[1]) Richter, d. weström. reich etc. p. 91 sq. et multis locis aliis, potissimum in iis, quibus tempora Gratiani tractantur.

[2]) Cf. huius dissertationis pag. 3.

[3]) Poetae Latini minores III. p. 347 et II. p. 253.

[4]) Cf. Praefationes Ausonii in Idyll. XI, XII, XIII.

[5]) Cf. Teuffelii hist. lit. Rom. § 414. 2.

omnia Ausonii opera, saepissime aliena multa exhibere et de compluribus Ausonii carminibus adhuc dubitari, utrum genuina sint necne, sane tibi persuadebis facile etiam fieri potuisse, ut haec Ephemeridis precatio aliunde in Ausonii opera aliquo modo reciperetur.

Quam nostram sententiam non futilem commenticiamque esse firmis argumentis docere possumus probantes precationem hanc Ephemeridis falso Ausonio tributam Paulini esse. Rosveydus ad hanc precationem haec adnotavit [1]): «Precatio haec matutina edita est Ausonii nomine in principe eius editione Mediolanensi 1490, ubi versus novem sequentes post septem primos videlicet ab «Ipse opifex» deerant: quos Mariangelus Accursius in diatribis suis in Ausonium, Solinum et Ovidii Metamorphosim monuit inserendos ex vetustis Hieronymi Aleandri membranis, in quibus et Paulino haec precatio inscribitur, et primus versus ita concipitur:

«Omnipotens solo mentis mihi cognite cultu.» Ouae precatio post et Ausonii et Paulini editiones pariter occupavit» [2]). Elias Vinetus ad hanc precationem adscripsit se in codice quodam eam solam, ex media Ephemeride sublatam, invenisse hoc lemmate: Precatio matutina ad omnipotentem Deum.

Ad quae codicum testimonia id accedit, quod haec precatio ad alteram Paulini [3]) et verbis et sententiis plane respondet, ut facile utrumque carmen eiusdem auctoris esse quisque intellegat. Deinde etiam finis huius precationis bene conferri potest cum Paulini carminis XVII. versibus 113—118 [4]). Boeckingius, qui hoc Ephemeridis poema Ausonio tribuit, pulchram hanc precationem esse affirmat [5]), quam sententiam Kaufmannus [6]) plane reiciendam censet. Rectissime autem de hac re disseruisse videtur Lebrunius [7]), qui censet priorem precationem Paulini (carm. IV.) inter ea poemata collocandam esse, quae nondum veram sanctitatem spirent, cum in ea honestos viri secularis mores a deo enixe postulet, ex quibus tamen

---

1) Migne Patrol. LXI. pag. 905. not. 218.

2) Mignius ipse hanc precationem inter Paulini opera recipere minime dubitavit.

3) Quae apud Mignium quarti carminis Paulini locum tenet; pag. 439. Conferas carminis 10, vers. 4, cum V, 61; IV, 8 cum V, 66 etc., imprimis autem:

IV. 6—7. Male velle facultas
Nulla sit ac bene posse adsit tranquilla potestas.

V. 64—65. Male posse facultas
Nulla sit et bene posse adsit tranquilla potestas.

4) Cf. Tollianam Ausonii editionem pag. 103.

5) Vita Aus. p. 68.

6) Raumers hist. Taschenbuch. IV. 10. pag. 90 ann. 4.

7) Migne Patrolog. tom LXI. pag. 755.

aeternam eamque beatam sibi spondeat vitam. Deinde pergit: «alia item matutina ad deum precatio (scil. ea quae et Paulino et Ausonio tribuitur) circa idem tempus conscripta est; ibi tamen pietas maior, profundior humilitas et metus iudiciorum dei elucent.»

Ad idem fere refert Busii sententia, qui in hac precatione summam totius fidei Christianae inesse contendit[1]). Sed huius pietatis Christianae et animi humilitatis, cuius in Paulini operibus innumerabilia testimonia videbis quaeque ad vitam illius severissimam Christoque plane deditam aptissima erat, in Ausonii operibus vix ullum invenias vestigium, quippe qui nunquam Christianus habitus esset, nisi hoc carmen composuisse falso putatus esset. An eum virum, qui sescenties consulatum a se gestum commemorat[2]), qui accuratissime dignitates et cognatorum et amicorum et suas iterum atque iterum memoria repetit[3]), qui gratiam imperatoris[4]) et laudem poeticam[5]) summa bona putat, precatum esse arbitrabimur ad deum:

«omnia despiciam: fuerit cum sola voluptas
iudicium sperare tuum». . . . . et
«miracula terrae | nulla putem?[6])»

Hoc omnino fieri non potuit aut Ausonium mirum in modum simulasse atque dissimulasse nobis putandum est; sed etiamsi imperatoribus valde placere studuit eosque saepissime adulatus est, tamen simulationem atque dissimulationem Ausonio opprobrio dare non possumus. Itaque si videmus Ausonium in Parentalibus, quae ultimo vitae tempore composuit[7]) et quibus officio omnibus hominibus sanctissimo functurus eorum memoriam celebrare vult, quos carissimos morte sibi ereptos dolet, religionis Christianae ne minimam facere mentionem, sed fere sententiis ethnicis exsultare[8]), haec sola causa

---

[1]) Paulinus u. seine zeit I. pag. 125 ann. 28. Sed hoc loco facere non possum, quin Busium, quamquam multis locis diligentia et sano iudicio utitur, graviter reprehendendum censeam. Commemorat enim hanc precationem pag. 125 et Ausonio tribuit, ut illum Christianum fuisse doceat, quamquam ad alia, quae de religione Ausonii dicit, minime respondet. Deinde pag. 144 idem hoc carmen Paulini esse affirmat, qui se beatum esse profiteatur, quod veterem religionem effugerit. Quam quidem rem plane ridiculam esse nemo non intelleget.

[2]) Gratiarum actionis permultis locis. Ordo nob. urb. XIV. 40; Idyll. II, 46. IV, 92 etc.

[3]) Imprimis in Parentalibus et Idyll. II. IV, V.

[4]) Grat. act. pag. 287 ed. Bip. «unus mihi omnia Gratianus».

[5]) Epist. XIX. Praef. in Idyll. XI. etc.

[6]) Oratio Ephem. 75 sq. et 71.

[7]) Cf. Par. IX, 8. XII, 11. XVIII, 9. XXIV, 5. 6.

[8]) Cf. Praef. Par. 9—12. Par. III, 23. IV, 24. V, 11. IX, 30. XVIII, 12. XIX, 13. XXI, 7. XXVII, 4. XXVIII, 6. XXIX, 5. XXX, 11.

satis gravis nobis esse potest, cur eum Christianum fuisse negemus. Nam si fuisset, hoc loco sane, si quoquam alio, verbis usurus fuisse putandus est, quae cum ea religione congruerent, quam re vera confiteretur. Sed aliis locis ex Ausonio operibus petitis opinio nostra etiam magis confirmatur et stabilitur. Consul designatus precatur Janum[1]), hominum vitam fatis vel invidiae fati et Fortunae credit esse subiectam[2]), Nemesin veretur[3]), quin etiam omnia, quae in diversis rebus agendis homines observare debeant, siderum imperio regi confidit[4]). Quod gravissimum est, permultis locis et prioris[5]) et suae aetatis imperatores[6]) deos praesentes habet atque adorandos censet, id quod Christianos nunquam fecisse scimus[7]). Quo cum devotissimo erga imperatores animo Ausonii optime congruit idyllium primum, quo Valentinianum, Valentem fratrem, Gratianum filium[8]) summa adulatione cum tribus numinis divini personis comparat, et quod non modo Ausonium sacris religionis Christianae non addictum fuisse probat, sed etiam animum eius a vera fide Christiana valde abhorrentem docet. Nam ut plane omittamus, quod sacerdotes Christianos «mystas» appellat, quomodo eum, qui triplicem naturam dei, sanctissimum illius temporis dogma, tali modo profanaverit, Christianum habebimus? Deinde pietatis et devoti erga deum animi nullum in hoc poemate inest vestigium, sed quae more poetico ad celebrandam dei potentiam et gloriam addit, nulla alia de causa dicta esse apparet, quam ut imperatores quam maxime illustrarentur; id quod etiam ex primis verbis praefationis[9]), quam idyllio secundo praemittit, bene intellegitur.

Cum enim Ausonius idyllium primum Valentiniano etiam tum vivo[10]) composuisset cumque eo tempore in palatio huius im-

---

[1]) Idyll. VIII.

[2]) Idyll. IV, 36. Epist. I, 39. II, 20. — Prof. Burd. XIII, 10. — Par. XXII, 16. Prof. XVIII, 3. Idyll. IV, 85. Mos. 412.

[3]) Idyll. IV, 85. VIII, 40 sq. Epist. XXIV, 51.

[4]) Eclog. de ratione puerp. mat. 1—5 sq.

[5]) Epigr. VII, 2. Caes. II, 4.

[6]) Praef. epigr. ad Theod. 15; Idyll. I, 24 sq. Gratiar. actio p. 285, 286, 288, 289, 290 etc. editionis Bipontinae 1785.

[7]) Cf. Friedländer, darstellungen aus der sittengeschichte Roms. Leipzig 1871. vol. III. pag. 457.

[8]) Sic enim tres personas imperatorum intellegendas esse docet Idyll. I. versus 24. Teuffelii sententia (hist. litt. § 414. 4.) non satis recta est, praesertim cum constet a Valentiniano primum Valentem, deinde Gratianum, brevi ante mortem suam tempore Valentianum II. imperatores esse receptos.

[9]) Post deum semper colui patrem: secundamque reverentiam genitori meo debui.

[10]) Cf. Idyll. I. versum 24 usque ad 27. spectatur . . . . . partitur . . . . . dividit.

peratoris versaretur, putare nullo modo possumus Ausonium dicturum fuisse sibi ante omnes deum et post illum patrem colendum esse, imperatoris vero nullam rationem habiturum vel inferiore eum loco positurum fuisse quam patrem, praesertim cum illi summam gratiam habere deberet.

Itaque, sicut in idyllio primo ipso, in illis praefationis verbis implicitum est ab Ausonio deum et imperatorem eodem vocabulo significari. At quaerat fortasse quispiam, cur Ausonius, si ethnicus fuerit, non Jovis vel alius sed Christianorum dei nomine usus sit, ut imperatores celebraret. Ad quod sic respondendum: primum quia illud religionis Christianae dogma optime ei trium imperatorum societati conveniebat, in qua Valentinianus, quamvis cum duobus cognatis imperium partitus esset, tamen summam potestatem ipse solus fere habebat; deinde quia Ausonius Valentiano religioni Christianae dedito gratissimum fore sperabat, si cum eo conferretur deo, quem ipse summum atque maximum habebat. Itaque hoc idyllio Ausonium verba sua ad imperatoris religionem accommodasse non mirum est, cum Teuffelius etiam aliis locis idem a poeta nostro fieri confiteatur[1]) et Symmachus ipse, quem acerrimum veteris religionis propugnatorem fuisse intelleximus, ab eadem re non abhorruerit[2]). Praeterea quo adulationis panegyrici scriptores illo tempore processerint, manifestissime describit Eyssenhardtius his fere verbis[3]): «pestis ac pernicies videri debent panegyrici Latini. Horum enim hominum tanta est in adulando impudentia, talis in mentiendo effrenatio, ut hodie vix quisquam imaginem hominis alicuius cogitatione fingere sibi possit, qui talem orationem coram imperatore sine pudore, sine oris confusione habuerit. Est enim haec adulatio plane singularis et sicut in Romano imperio omnia magna erant et grandia, ita et ipsa vasta immanisque et a vulgaribus hominum blandimentis longissime remota: non adulantur modesta illa et quasi humana ratione, sed conspecto imperatore subito quasi in coelum abrepti homunculum exadversus se stantem tamquam praesentem deum votis precibusque adorant». Quae crimina iusta, religioni Christianae plane contraria, cum omnia fere cadant in Ausonii gratiarum actionem[4]), iterum videmus verisimilius esse illum Christia-

---

[1]) hist. litt. Lat. § 414. 4.11.
[2]) Epist. X, 71; in eligendo episcopo dei omnipotentis expectandum esse iudicium.
[3]) lectiones panegyricae. Prog. Berol. 1867. pag. 1 sq.
[4]) pag. 285 ed. Bip. «Ades enim omnibus locis. Nec iam miramur licentiam poetarum, qui omnia Deo plena dixerint; 290 sic amicus Deo es, ut a te iam impetratum sit, quod optatur: a quo et quod nondum optamus, adipiscimur etc.

num non fuisse. Cetera huius religionis vestigia, quae viri docti reperisse sibi videntur in Ausonii operibus[1]), aut per se ipsa refutantur aut ex iis, quae inde ab initio disputavimus, facile aliam in sententiam accipi possunt; itaque levia omittentes iam breviter argumenta astringamus totius disputationis. Quoniam intelleximus nullis fere rebus certo probari Ausonium religionis Christianae studiosum fuisse, plurimis doceri contrarium, sane non errabimus, si Ausonium eam religionem professum esse affirmabimus, cui illo tempore cum nobilissimum quemque tum Latinum Drepanium Pacatum, Ausonio amicissimum[2]), deditum fuisse scimus, qui viri unum deum esse arbitrati sunt, qui et veteribus diis et Christianorum deo pariter dissimilis esset[3]). Quae sententia eo maxime fulcitur, quod, quae Teuffelius[4]) de Pacati religione dicit, ad eadem fere redeunt, quae ipsi de Ausonii explicavimus.

II.

DE AUSONII STUDIIS VERGILIANIS SCRIBITUR.

Quartum post Christum saeculum cum aliarum rerum tum artium atque litterarum ruinae manifestissima praebere documenta neminem fugiet et omnibus in libris, qui aut de rebus illo tempore gestis aut de studiis Romanorum scripti sunt, accuratissime expositum invenies. Maxime autem omnium friguit ars poetica, quae cum rhetorum studiis artissime coniuncta scholae excercitationes summopere redoluit[5]). Itaque, quamquam viri exstiterunt, qui carminibus ex Augusti potis-

---

[1]) sicut Idyllii XI. versu 88, quo verbis «ter deus unus» modo utitur, ut exemplum ternarii numeri afferat, id quod ad religionem eius minime attinet etc.

[2]) Cf. Praefationem ludi septem sapientium; praefationem Idyllii XII. (Technopaegnii); praefationem tertiam epigrammatum.

[3]) neutraler Monotheismus.

[4]) Cf. hist. litt. Lat. § 419, 9. II.

[5]) Cf. Teuffelii hist. litt. Rom. § 395 ed. II.

simum aetate relictis operam navantes novo quasi lumine poemata sua illustrare studerent, tamen ipsi vitia, quibus totum illud saeculum infectum erat, vitare non potuerunt tantumque afuit, ut animi eorum operibus illorum poetarum inflammati maiorem impetum sumerent, ut ipsi imitantes et describentes verborum et rhythmorum similitudine etiam ingenium illorum se aequaturos esse sperarent et quamvis eleganti sermone inopiam sententiarum occultare vix possent. Deinde raro ad maiora opera poetica perficienda aggressi saepissime parva carmina ad quasdam occasiones apta composuerunt, quibus imperatores, cognatos, amicos, collegas celebrarent, opera sua commendarent, res undique petitas enumerarent atque exponerent[1]).

Quodsi videmus iam Augusti imperatoris temporibus poetas clarissimos et arte maxime insignes, sicut Ovidium, non dubitasse ex operibus aliorum poetarum vel priorum vel aequalium levi mutatione facta vel omissa et argumenta et versus integros et vocabula desumere atque imitari[2]); deinde si idem ab omnibus fere poetis Latinis factum esse intellegimus, quia lingua Latina a metro vel hexametro dactylico nimis abhorruit: non mirum est, quod hoc quarto saeculo imitandi et describendi studium usque ad ultimum finem, centonem dico, processit. Praeterea enim hoc tempore et pulcherrimum habitum, si quis poemata sua aliorum flosculis quam maxime coloravit nec tota eruditio ac disciplina aliud quidquam sectata est, nisi ut iuvenes, qui erudiebantur, summopere ad hanc imitationem idonei essent, quam ob rem pulcherrimos veterum poetarum locos memoriae infigere et usque declamare debuerunt[3]).

Quarum rerum luculentissimus testis est Ausonius, quem, quamvis ab aequalibus et imperatoribus et amicis laudatus sit, quamvis operibus priorum poetarum studuerit, quamvis fere omnes aequales ingenio et doctrina superaverit, tamen, quod attinet ad virtutem poeticam, versificatorem magis quam poetam esse nobis confitendum est. Nam etiam pulcherrimi loci Mosellae, qnod Idyllion maxime more epico composuit quodque praestantissimum poetae nostri opus habetur, frigent et fere omnibus carminibus Ausonius prioris aetatis poetas tantopere imitatus est vel versus eorum descripsit, ut, si aliena omnia carminibus eius resecarentur, vix dimidjam partem relinqui cerneres.

---

[1]) Cf. opera Ausonii.

[2]) Zingerle, Ovid u. sein verhältniss zu den vorgängern und gleichzeitigen dichtern. Innsbruck 1869.

[3]) Optime hoc exposuit Kaufmannus (v. Raumers hist. taschenbuch IV. 10) pag. 16 sqq.

Sed quamquam in hac re summopere cavendum est, ne nimium probando nihil probare videamur, quia non omnes libros, quos Ausonius ipse commemorat vel quos editores ei notos fuisse tradunt, poetam nostrum perlegisse, sed nonnullos locos ab aliis notatos invenisse recte suspicabimur, tamen multis locis docetur Ausonium certe novisse et consulto imitatum esse hosce poetas: Catullum, Horatium, Iuvenalem, Lucanum, Martialem, Ovidium, Persium, Plautum, Propertium, Statium, Terentium, Tibullum, Vergilium. Aliorum poetarum operibus Ausonium studuisse quamquam ex quibusdam locis divinari potest, tamen pro certo affirmare nolim, cum modo indicia perpauca inveniantur[1]). Sed omnium maxime Ausonius in Vergilii operibus versatus videtur fuisse, primum quod centonem nuptialem ex versibus vel versuum partibus Vergilianis mutatione non admissa componere potuit, deinde quod multis locis hunc poetam laudat[2]) eiusque opera ante aliorum legenda commendat[3]), denique quod carmina Vergilii inde a primo post Christum saeculo usque ad mediam aetatem semper plurimi aestimata atque in scholis maxime tractata et declamata esse neminem fugit. Itaque expositaris nobis, quid Ausonius ex poetarum aliorum carminibus in sua transtulisset, a Vergilio sane incipidiendum erat[4]).

Ut autem eos locos, quos afferemus maxime uno in conspectu ponamus neve saepius eadem verba de similibus rebus nobis facienda sint, Zingerlii[5]) rationem in universum sequentes

---

[1]) Ennium sane Ausonius novit, cum duos eius locos commemoret (Idyll. XII. Grammaticom. 3 et 17), sed praeterea nulla re probatur Ausonium Ennii opera imitatum esse neque ex fragmentis Ennianis, quae Vahlenius collegit, ullum huius rei vestigium invenimus. Nam ea verba «tranquillo qua labitur flumen (Mos. 245)», quae Zingerlius (zu spät. lat. dichtern p. 42) ex Enii Annal. versu 177 «leni fluit agmine flumen» desumpta esse dicit, eodem iure ad Vergilii Aen. II, 782: «leni fluit agmine Thybris» referri possunt. Ad Lucretium Ausonius exitu hexametri «tela diei» (cf. Zingerle p. 42) alludit et eo, quod Venerem «Aeneadum genitricem» nominat, qua quidem re nihil nobis probari videtur, nisi alii loci accedunt. Idem de Afranio dicendum est, quem in praefationibus Technopaegnii et Centonis nuptialis breviter nominat.

[2]) Epigr. 118, 3. 13. Ephem. extr. 22. Prof. XXI, 9. Prof. XXII, 13. Epit. Her. XIII, 4. Id. V, 25. Praef. Id. VI. Praef. Id. XIII. Praef. Epist. XVII. etc.

[3]) Id. IV, 57.

[4]) Hoc loco mihi confitendum est me magnum numerum locorum in editionibus Ausonii invenisse, ubi tamen modo numeri librorum Vergilii iique saepe parum accurate adscripti sunt. Eosdem fere W. Ribbeck (auctores et imitatores Vergilii in ed. Verg. Ottonis Ribbeck (Lipsiae 1860—68) et Zingerle (zu spaet. lat. dicht. Innsbruck 1873) laudarunt, novos paene nullos attulerunt.

[5]) Ovidius u. sein verhältniss zu den vorgängern u. gleichzeitigen röm. dichtern. Innsbruck 1869. II. pag. 48 sq.

primum omnes locos in certa genera divisos enumerabimus, deinde quid omnino de Ausonii studiis Vergilianis dicendum sit, breviter exponemus[1]).

I. Enumerantur et comparantur ii loci, in quibus Ausonius vel argumenta quaedam Vergilii imitatus est vel easdem res similibus verbis descripsit.

Praeter Idyllion VI, quod multis locis ad Vergilii Aeneidis librum VI. accedit et Ephemeridis extremae partis versus 22—26, quibus fere idem de somniis dicit, quod Vergilius Aeneidis libri VI. versibus 283—85 et 892—96, Ausonius maiora argumenta Vergilii nisi in Epitaphiis Heroum non imitatus est. Quamquam autem non ignoramus Ausonium ipsum se haec epigrammata a philologo quodam Graece composita in sermonem Latinum transtulisse confiteri, tamen poeta noster, qui in vertendis carminibus Graecis magna semper libertate usus est, etiam in his epigrammatis saepius ad Vergilium videtur respexisse[2]). Huc accedit, quod complures loci horum epitaphiorum etiam, quod attinet ad vocabula ipsa, accuratissime ad Vergilii versus respondent[3]). Quare conferas:

Aus. Epit. Her. VI, 3 cum Verg. Aen. XI, 246 sq.; Aus. Epit. Her. IX, 3 cum Verg. Aen. III, 331 sq.; Aus. Epit. Her. XIII, 1—2 cum Verg. Aen. VI, 511 sq. et 494 sq.; Aus. Epit. Her. XXIII, 3 cum Verg. Aen. II, 557 sq.; Aus. Epit. Her. XXVI, 1 cum Verg. Aen. III, 321 sq.; Aus. Epit. Her. XXXV, 10 cum Verg. Georg. III, 89 sq.; potissimum Aus. Epit. Her. XIX, 1—6 cum Verg. Aen. III, 13 sq., 22 sq., 45 sq., 62 sq., ubi verba utriusque poetae simillima sunt.

Ad minora argumenta Vergilii respexit et aliis verbis ea narravit Ausonius hisce locis:

Mars appellatur Geticus: Verg. Aen. III. 35 et Aus. Epigr. I, 7.

---

[1]) Rationem modo eorum carminum habui, quae ab omnibus Vergilio vindicantur, Eclogarum, Georgicon, Aeneidis; cetera enim iam Ausonius ipse Vergiliana se non habuisse confitere eo videtur, quod eorum versus in centonem nuptialem non admisit. Ausonii Idyll. XIV—XVII. cum Riesio (Anthol. Lat., pars prior; fasc. II. praef. XVIII.) facere non possum, quin genuina habeam. De Ausonii studiis Vergilianis, quae ad artem metricam pertinent, conferas: Rähsium, de re metrica Ausonii (Berolini 1868).

[2]) Cf. etiam Philol. I. pag. 1 sq. et Bergk, poetae lyrici. vol. II, 647.

[3]) Cf. Epit. Her. XIX, 2 = Verg. Aen. III, 46; Epit. Her. XIX, 4 = Aen. III, 45; Epit. Her. XVIII, 1 = Verg. Aen. V, 809; Epit. Her. XXVII, 9 = Verg. Aen. I, 11.

Mortuis munera quotannis persolvenda esse dicitur: Verg. Ecl. V, 67; Aen. V, 53 et Aus. Praef. Par. 6.
Mors iuvenis cum flore languescente comparatur: Verg. Aen. IX, 433 sq. et Aus. Par. XXIII, 15.
Animas mortuorum voce ciere funeris esse instar narratur: Verg. Aen. VI, 506 et Aus. Prof. XXV, 6; Praef. Par. 10.
Eadem praecepta de agricultura dantur: Verg. Georg. I, 100; 230 et Aus. Id. VIII. 8. 12.
Rhodope et Pangaeus coniunctim nominantur: Verg. Georg. IV, 461 et Aus. Mos. 158.
Ismarus vini ferax esse dicitur: Verg. Georg. II, 37 sq. et Aus. Mos. 156 sq.
Rhenus bicornis nominatur: Verg. Aen. VIII, 727 et Aus. Mos. 436 sq.
Fluvius appellatur corniger: Verg. Aen. VIII, 77 et Aus. Mos. 469.
Rosaria Paesti commemorantur: Verg. Georg. IV, 119 et Aus. Id. XIV, 11.
Abydus ostreis abundare traditur: Verg. Georg. I, 207 et Aus. Epist. IX, 29.
Adiectivum «Doricus» usurpatur pro adiectivo «Graecus» Verg. Aen. II, 27; VI, 88 et Aus. Epist. XXII, 4.
De Euryali et Nisi amicitia agitur: Verg. Aen. IX, 176 et Aus. Epist. XXIV, 35.

Similibus verbis Ausonius sententias quasdam Vergilii narravit hisce versibus:

Verg. Aen. X, 501 sq.
Nescia mens hominum fati sortisque futurae
Et servare modum rebus sublata secundis!

Aus. Clar. Urb. VI, 3 sq. (Capua)
Fortuna variante vices, quae freta secundis
Nescivit servare modum.

Verg. Aen. VI, 443 sq.
Secreti celant calles et myrtea circum
Silva tegit;

Aus. Id. VI, 2.
Myrteus amentes ubi lucus opacat amantes

Verg. Ecl. III, 106 sq.[1]
Dic, quibus in terris inscripti nomina regum
Nascantur flores etc.

Aus. Id. VI, 8 sq.
Quorum per ripas nebuloso lumine marcent
Fleti olim regum et puerorum nomina flores

[1]) Vide, quae Ladewigius ad hunc locum notaverit.

Verg. Aen. VI, 448 sq. . . . . nunc femina Caeneus
Rursus et in veterem fato revoluta figuram

Aus. Id. VI, 19 sq. . . . . sexu gavisa virili
Maeret in antiquam Caenis revocata figuram

Verg. Ecl. VI, 46.
Pasiphaen nivei solatur amore iuvenci

Aus. Id. VI, 30.
Pasiphae nivei sequitur vestigia tauri

Verg. Aen. XII, 68 et 69.
Si quis ebur, aut mixta rubent ubi lilia multa
Alba rosa: talis virgo dabat ore colores.

Aus. Id. VII. ad pict. de Bissul. imagine 5 et 6
Puniceas confunde rosas et lilia misce:
Quique erit ex illis color aeris, ipse sit oris.

Verg. Aen. VI. 325.
Haec omnis, quam cernis, inops inhumataque turba est.

Aus. Mos. 4.
Infletaeque iacent inopes super arva catervae.

Verg. Georg. II, 103 sq.
Sed neque quam multae species nec nomina quae sint,
Est numerus; neque enim numero comprendere refert.

Aus. Mos. 77 sq.
Sed neque tot species obliquatosque natatus . . .
Nominaque et cunctos numerosae stirpis alumnos
Edere fas.

Verg. Aen. II, 782.
Inter opima virum leni fluit agmine Thybris

Aus. Mos. 245.
Ast hinc tranquillo qua labitur agmine flumen

Verg. Aen. VI, 32 sq. (Daedalus)
Bis conatus erat casus effingere in auro,
Bis patriae cecidere manus.

Aus. Mos. 301 sq. . . . . aedis
Conditor Euboicae, casus quem fingere in auro
Conantem Icarios patrii pepulere dolores.

Verg. Aen. VI, 859.
Tertiaque arma patri suspendet capta Quirino.

Aus. Id. XII, de hist. 15.
Tertia opima dedit spoliatus Aremoricus Lars.

Verg. Aen. IV, 215.
Et nunc ille Paris cum semiviro comitatu
Aus. Id. XII, de hist. 22.
Barbarus est Lydus, bellax Geta, femineus Phryx
Verg. Aen. XI, 701.
Haut Ligurum extremus, dum fallere fata sinebant
Aus. Id. XII, de hist. 23.
Fallaces Ligures: nullo situs in pretio Car.

Verg. Georg. II, 121.
Velleraque ut foliis depectant tenuia Seres?
Aus. Id. XII. de hist. 24.
Vellera depectit nemoralia vestifluus Ser.

Verg. Ecl. IX, 47.
Ecce Dionaei praecessit Caesaris astrum
Aus. Eclog. dist. de iisd. mensib. 13.
Inde Dionaeo praefulgens Julius astro

Verg. Aen. XII, 750.
Cervom aut puniceae saeptum formidine pinnae
Aus. Epist. IV, 28 sq. .... cervos
Circumdas maculis et multa indagine pinnae

Verg. Aen. V, 320.
Proximus huic longo set proximus intervallo
Aus. Epist. IX. 26.
Proxima sint quaevis, sed longe proxima multo
Ex intervallo

Verg. Ecl. VIII, 7 sq. en erit unquam
Ille dies, mihi cum liceat tua dicere fata
Aus. Praef. Epist. XVI.
Tors fuat, ut, si mihi vita suppetet, aliquid rerum tuarum quamvis incultus expediam etc.

Verg. Aen. X, 547.
Dixerat ille aliquid magnum vimque affore verbo
Crediderat etc.
Aus. Epist. XXIV, 51.
Grande aliquod verbum nimirum diximus, ut se...

Verg. Aen. IV, 584. (Sol)
Et iam prima novo spargebat lumine terras
Verg. Aen. XI, 183.
Extulerat lucem referens opera atque labores
Aus. Per. II. XI. 2.
Spargebat terras referens opera atque labores.

II. Enumerantur ii versus, quos Ausonius integros vel levissime tantum mutatos ex Vergilio descripsit.

Plane pares sunt: Verg. Aen. IV, 415 = Aus. Epigr. 71, 8; Verg. Aen. VIII, 63 = Aus. Mos. 460; Verg. Aen. XII, 879 = Aus. Id. XV, 20; Verg. Aen. IV, 480 = Aus. Epist. IV, 5: Verg. Ecl. VIII, 107 = Aus. Epist. XXIV, 132; Verg. Aen. IV, 585 = Aus. Per. Il. XI, 1; Verg, Aen. IV, 129 = Aus. Per. Il. XIX, 1; Verg. Aen. II, 331 = Aus. Per. Il. XX, 2; Verg. Aen, II, 1 = Aus. Per. Od. XIII, 1.

Levius mutatos hos invenies:

Verg. Ecl. VII, 35.
Nunc te marmoreum pro sumpta fecimus: at tu etc.
Aus. Epigr. 5, 1.
Nunc te marmoreum pro sumptu fecimus: at cum etc.

Verg. Aen. I, 11. ..... tot adire labores
Impulerit. Tantaene animis caelestibus irae?
Aus. Epist. Her. 27, 9.
Pro facinus! Tantaene animis caelestibus irae?

Verg. Aen. I, 265.
Tertia dum Latio regnantem viderit aestas
Aus. Temp. imp. XII. Caes. 8.
Tertia vos Latio regnantes nesciit aestas

Verg. Aen. IV, 511.
Tergeminamque Hecaten, tria virginis ora Dianae,
Aus. Id. XI, 18.
Tergemina est Hecate, tria virginis ora Dianae

Verg. Georg. I, 208.
Libra die somnique pares ubi fecerit horas
Aus. Eclog. de rat. libr. 31.
Libra die somnique pares determinat horas

Verg. Aen. I, 324.
Aut spumantis apri cursum clamore prementem
Aus. Epist. IV, 30.
Aut spumantis apri cursum clamoribus urges

Verg. Aen. VII, 26.
Aurora in variis fulgebat lutea bigis
Aus. Per. Il. VIII, 1.
Aurora in croceis fulgebat lutea bigis.

III. Comparantur ii versus, qui et apud Vergilium et apud Ausonium ab iisdem vel similibus verbis incipiunt.

Verg. Aen. I, 1.	Arma virumque cano
Aus. Epigr. 137, 1.	Arma virumque docens
Verg. Aen. X, 507.	O dolor atque decus
Aus. Parent. IX, 24.	Et dolor atque decus
Verg. Ecl. V, 34.	Tu decus omne tuis
Aus. Prof. XXIV, 11.	Tam decus omne tuis
Verg. Aen. I, 33.	Tantae molis erat
Aus. Clar. Urb. XIII, 15.	Tantae molis erat
Verg. Aen. IV, 13.	Degeneres animos timor arguit
Aus. Id. IV, 26.	Degeneres animos timor arguit
Verg. Ecl. IX, 53.	Nunc oblita mihi tot carmina
Aus. Id. IV, 52.	Quando oblita mihi tot carmina
Verg. Aen. VI, 887.	Aeris in campis
Aus. Id. VI, 1.	Aeris in campis
Verg. Aen. VI, 451.	Errabat silva in magna
Aus. Id. VI, 5.	Errantes silva in magna
Verg. Ecl. VI, 46.	Pasiphaen nivei[1])
Aus. Id. VI, 30.	Pasiphaen nivei
Verg. Aen. XII, 254.	Facta nube premunt
Aus. Id. VI, 52.	Facta nube premunt
Verg. Aen. VII, 578.	Terrorem ingeminat
Aus. Id. VI, 82.	Terrorem ingeminat
Verg. Aen. VI, 640.	Largior hic campos aether
Aus. Mos. 12.	Purior hic campis aer
Verg. Georg. IV, 524.	Gurgite cum medio
Aus. Mos. 99.	Gurgite de medio
Verg. Aen. VII, 382.	Impubesque manus
Aus. Mos. 205.	Impubemque manum
Verg. Georg. II, 173.	Salve, magna parens frugum
Aus. Mos. 381.	Salve, magna parens frugumque
Verg. Georg. IV, 373.	In mare purpureum
Aus. Mos. 467.	In mare purpureum
Verg. Aen. V, 560.	Tres equitum numero turmae
Aus. Id. XI, 80.	Tres equitum turmae

---

1) Cf. pag. 26.

Verg. Aen. VII. 326.	Iraeque insidiaeque
Aus. Id. XV, 14.	Iras, insidiasque
Verg. Ecl. III, 71.	Aurea mala decem
Aus. Epist. VI, 2.	Aurea mala, Theon,
Verg. Aen. IV, 163.	Dardaniusque nepos
Aus. Epist. VII, 13.	Dardaniusque nepos
Verg. Georg. IV, 111.	Hellespontiaci
Aus. Epist. IX, 29.	Hellespontiaci
Verg. Georg. III, 91.	Martis equi biiuges
Aus. Epist. XXIV, 17.	Martis equi stabuloque
Verg. Georg III, 536.	Contenta cervice trahunt
Aus. Epist. XXIV, 22.	Contenta cervice feram
Verg. Ecl. I, 54.	Hyblaeis apibus
Aus. Epist. XXV, 12.	Hyblaeis apibus
Verg.Aen.VI,628;VII,323,471; VIII,541.	Haec ubi dicta dedit
Aus. Per. Il. VII, 1.	Haec ubi dicta dedit.

IV. Comparantur ii versus, qui apud utrumque poetam in eadem vel similia verba exeunt.

Verg. Aen. VI, 851.
Tu regere imperio populos Romane memento
Praef. ad Theod. 21.
Tu modo te iussisse, pater Romane, memento

Verg. Ecl. VI, 8.
Agrestem tenui meditabor arundine musam
Aus. Epigr. I, 13.
Et commutata meditatur arundine carmen

Verg. Aen. III, 483.
Fert picturatas auri subtegmine vestes
Aus. Epigr. 36, 1.
Sive probas Tyrio textam subtegmine vestem

Verg. Georg. I, 423.
Et laetae pecudes et ovantes gutture corvi
Aus. Epigr. 76, 5.
Gallorum cantus et ovantes gutture corvos

Verg. Georg III, 187.
Atque haec iam primo depulsus ab ubere matris
Aus. Par. V, 9.
Haec me praereptum cunis et ab ubere matris

Verg. Aen. X, 64.
Rumpere et obductum verbis volgare dolorem
Aus. Par. IX, 9.
Nec licet obductum senio sopire dolorem

Verg. Aen. X, 750.
Illum infrenis equi lapsu tellure iacentem
Aus. Par. XXI, 7.
Quamvis Santonica procul in tellure iacentes

Verg. Aen. XI, 583.
Aeternum telorum et virginitatis amorem
Aus. Par. XXVI, 3.
Innuba devotae, quae virginitatis amorem

Ver. Aen. III, 94.
Dardanidae duri, quae vos a stirpe parentum
Aus. Prof. XII, 3.
Qua forma aut merito fueris, qua stirpe parentum

Verg. Aen. V, 809.
Congressum Aenean nec dis nec viribus aequis
Aus. Epit. Her. XVIII, 1.
Hectore prostrato nec dis nec viribus aequis

Verg. Aen. II, 336.
Talibus Othryadae dictis et numine divûm
Aus. Clar. Urb. II, 11.
Ite pares, tandem memores, quod numine divûm

Verg. Aen. II, 123.
Portrahit in medios: quae sint ea numina divûm
Aus. Epist. I, 37.
Exiguum quod avus. Faveant pia numina divûm

Verg. Aen. II, 777 (cf. Aen. V, 56 et VI, 368)
O dulcis coniux? non hae sine numine divûm
Aus. Per. II. VI, 1.
Solae decertant acies sine numine divûm

Verg. Aen. III, 539.
Et pater Anchises «bellum, o terra hospita, portas
Aus. Clar. Urb. VIII, 1.
Pande, duplex Arebate, tuos blanda hospita portus

Verg. Aen. IV, 457.
Praeterea fuit in tectis de marmore templum
Verg. Aen. VI, 69.
Tum Phoebo et Triviae solido de marmore templum
Aus. Clar. Urb. XIII, 14.
Quodque tibi quondam Pario de marmore templum.

Verg. Aen. X, 269.
Respiciunt totumque adlabi classibus aequor
Aus. Clar. Urb. XIV, 18.
Adlabi totum spectabis classibus aequor

Verg. Georg. III, 186.
Laudibus et plausae sonitum cervicis amare
Aus. Praef. Lud. Sept. Sap. 9.
Novit equus plausae sonitum cervicis amare

Verg. Aen. III, 505.
Troiam animis; maneat nostros ea cura nepotes
Aus. Id. IV, 19.
Anteferunt patribus seri nova cura nepotes

Verg. Georg III, 388.
Nigra subest udo tantum cui lingua palato
Aus. Id. V, 5.
Emendata rudi proferret lingua palato

Verg. Aen. I, 94.
Talia voce refert: «o terque quaterque beati
Aus. Id. VIII, 51.
Illum ego si cernam tum terque quaterque beatus

Verg. Aen. VI, 270.
Quale per incertam lunam sub luce maligna
Aus. Id. VI, 5.
Errantes silva in magna et sub luce maligna

Verg. Aen. II, 449.
Devolvont; alii strictis mucronibus imas
Aus. Id. VI, 37.
Parte truces alia strictis mucronibus omnes

Verg. Aen. I, 397.
Ut reduces illi ludunt stridentibus alis
Aus. Id. VI, 46.
Dispulit inconsultus amor stridentibus alis

Verg. Aen. II, 605.
Mortalis hebetat visus tibi et umida circum
Verg. Aen. XII, 476.
Et nunc porticibus vacuis, nunc umida circum,
Aus. Id. VI, 48.
Communem sensere reum, quamquam humida circum

Verg. Aen. XI, 337.
Obliqua invidia stimulisque agitabat amaris

Aus. Id. VI, 82.
Terrorem ingeminat stimulisque accendit amaris

Verg. Aen. VI, 898.
Prosequitur dictis portaque emittit eburna

Aus. Id. VI, 103.
Evolat ad Superos portaque evadit eburna

Verg. Aen. XI, 187.
Conditur in tenebras altum caligine caelum

Aus. Mos. 15.
Quaeritur exclusum viridi caligine caelum

Verg. Aen. III, 196.
Continuo venti volvont mare magnaque surgunt
Aequora....

Aus. Mos. 146.
Pellitur, exclusum fundit mare magnaque surgunt
Aequora....

Verg. Georg. I, 10.
Et vos, agrestium praesentia numina, Faunos

Aus. Mos. 177.
Fugit lascivos paganica numina Faunos

Verg. Aen. VIII, 97.
Sol medium caeli conscenderat igneus orbem

Aus. Mos. 178.
Dicitur et medio cum sol stetit igneus orbe

Verg. Aen. III, 442.
Divinosque lacus et Averna sonantia silvis

Aus. Mos. 216.
Euboicae referunt per Averna sonantia cymbae

Verg. Ecl. VII, 17.
Posthabui tamen illorum mea seria ludo[1])

Aus. Mos. 206.
Dum spectat, transire diem, sua seria, ludo—Posthabet

---

[1]) Cf. Horatii Epist. II, 3; 226.

Verg. Georg. I, 52.
Cura sit ac patrios cultus habitusque locorum
Aus. Mos. 298.
Qui potis, innumeros cultus habitusque retexens

Verg. Aen. X, 146.
Illi inter sese duri certamina belli
Aus. Mos. 304.
Clara Syracosii traxit certamina belli

Verg. Georg I, 71.
Alternis idem tonsas cessare novales
Aus. Mos. 332.
Apricas scopulorum inter captare novales

Verg. Georg. IV, 564.
Parthenope studiis florentem ignobilis otî
Aus. Mos. 392.
Tempus erit, cum me studiis ignobilis otî

Verg. Aen. IV, 682.
Extinxti te meque soror populumque patresque
Aus. Mos. 409.
Quique caput rerum Romam populumque patresque

Verg. Georg. III, 473. (Cf. Georg III, 122.)
Spemque gregemque simul cunctamque ab origine gentem
Aus. Mos. 438.
Haec ego, Vivisca ducens ab origine gentem

Verg. Georg. I, 118.
Nec tamen, haec cum sint hominumque boumque labores
Aus. Mos. 459.
Teque inter medios hominumque boumque labores

Verg. Aen. X, 362.
At parte ex alia, qua saxa rotantia late
Aus. Mos. 466.
Insanumque ruens per saxa rotantia late

Verg. Aen. IV, 302.
Thyias, ubi audito stimulant trieterica Baccho
Aus. Id. XI, 35.
Qualis bis genito Thebis trieterica Baccho

Verg. Aen. VI, 276.
Et Metus et malesuada Fames et turpis Egestas
Aus. Id. XV, 4.
Damna manent: cessare vetat si turpis egestas

Verg. Georg. II, 336.
Non alios prima crescentis *origine mundi*

Aus. Id. XVIII, 17.
Qualia dispositi steterant ab *origine mundi*

Verg. Aen. IV, 212.
Exiguam pretio posuit, *cui litus arandum*

Aus. Epist. IV, 4.
Cultor arenarum vates? *Cui litus arandum*

Verg. Aen. III, 390 et VIII, 43.
Litoreis ingens inventa *sub ilicibus sus*

Aus. Epist. VII, 16.
Quot genuit foetus Albana *sub ilicibus sus*

Verg. Aen. VI, 140.
Sed non ante datur telluris *operta subire*

Aus. Epist. X, 27.
Nec prodest penetrale domus et *operta subire*

Verg. Aen. I, 234.
Certe hinc Romanos olim *volventibus annis*

Aus. Epist. XXIV, 4.
Quod per tam longam seriem *volventibus annis*

Verg. Georg. III, 279.
Nascitur et pluvio *contristat* frigore caelum

Verg. Georg. III, 304.
Jam cadit extremoque *inrorat Aquarius anno*

Aus. Epist. XXIV, 102.
Effusaque hiemen *contristat Aquarius unda*

Verg. Aen. I, 678.
Sidoniam puer ire parat, *mea maxima cura*

Aus. Epist. XXIV, 119.
Accurre, o nostrum decus, o *mea maxima cura*

Verg. Aen. VII, 437. (Cf. Aen. VIII, 582.)
Non, ut rere, meas effugit *nuntius aures*

Aus. Epist. XXIV, 123.
Et quando iste meas impellet *nuntius aures*?

Verg. Aen. XI, 524.
Urget utrimque latus, *tenuis quo semita ducit*

Aus. Per. Od. XIV, 1.
Egreditur portu, *tenuis quo semita ducit.*

Verg. Aen. I, 520.
Postquam introgressi et coram data c o p i a f a n d i[1])
Aus. Prof. XIV, 7.
Tam generis tibi celsus apex, quam g l o r i a f a n d i

Verg. Aen. VI, 327.
Nec ripas datur horrendas et r a u c a f l u e n t a[1])
Aus. Mos. 349.
Sed mihi qui tandem finis tua g l a u c a f l u e n t a

Verg. Georg. I, 14.
Neptune; et cultor nemorum, cui p i n g u i a C e a e[1])
Aus. Epist. IV, 19.
Albentis sevi globulos et p i n g u i a c e r a e.

V. Comparantur ii versus, quorum vel in mediis vel in diversis pedibus apud utrumque poetam eadem vocabula inveniuntur.

Verg. Aen. IV, 229.
Sed fore, qui g r a v i d a m i m p e r i i s belloque frementem
Aus. Epigr. 4, 4.
I m p e r i i s g r a v i d a s qua seco Pannonias

Verg. Aen. I, 14. Cf. Aen. II, 22.
Ostia, d i v e s o p u m studiisque asperrima belli
Aus. Epigr. 134, 1. Cf. Prof. XVI, 15.
Non est d i v e s o p u m dives, nec pauper inopsque

Verg. Aen. IV, 519.
Testatur moritura deos et c o n s c i a f a t i — S i d e r a
Aus. Par. IV, 17.
Tu caeli numeros et c o n s c i a s i d e r a f a t i

Verg. Aen. IV, 17.
Postquam primus amor d e c e p t a m morte fefellit[2])
Aus. Par. IX, 7.
Te iuvenis primis luxi d e c e p t u s in annis

---

[1]) Hi versus in fine positi sunt, quia Ausonius hoc loco ad imitationem pari tantum sono verborum adductus est. Cf.
Horat. Art. poet. 164.
Utilium tardus provisor p r o d i g u s a e r i s
Aus. Epit. Her. VIII, 1.
Hoc tegor in tumulo quarti iam p r o d i g u s a e v i

[2]) deceptus = orbatus.

Verg. Aen. VIII. 409.
Cui tolerare colo vitam tenuique Minerva — Impositum

Aus. Par. XII, 5.
Docta satis vitamque colo famamque tueri

Verg. Aen. XI, 62—63.
Intersintque patris lacrumis, solacia luctus
Exigua ingentis etc.

Aus. Par. XVI, 11.
Cui parva ingentis luctus solacia linquens

Verg. Aen. VI, 841.
Quis te, magne Cato, tacitum aut te, Cosse, relinquat?

Aus. Prof. XIX, 1.
Relligio est, tacitum si te, Sedate, relinquam

Verg. Aen. II, 90.
.... Invidia postquam pellacis Ulixi

Aus. Epist. Her. XII, 4.
Captus pellacis Laertiadae insidiis

Verg. Aen. V, 288.
Cingebant silvae, mediaque in valle theatri — Circus erat

Verg. Aen. V, 664.
Nuntius Anchisae ad tumulum cuneosque theatri

Aus. Clar. Urb. V, 5.
Circus et inclusi moles cuneata theatri

Verg. Aen. VIII, 116.
Paciferaeque manu ramum praetendit olivae

Aus. Clar. Urb. X, 3.
Paciferaeque primum cui contigit arbor olivae

Verg. Georg. III, 208.
Verbera lenta pati et duris parere lupatis

Aus. Praef. Lud. VII, Sap. 10.
Novit et intrepidus verbera lenta pati

Verg. Aen. IV, 248.
Atlantis cinctum adsidue cui nubibus atris
Piniferum caput

Aus. Id. IV, 21. Nec pinifer Atlas

Verg. Georg. I, 165.
Virgea praeterea Celei vilisque supellex

Aus. Id. IV, 29.
Quod sceptrum vibrat ferulae, quod multa supellex Virgea

Verg. Aen. IX, 614.
Vobis picta croco et fulgenti murice vestis
Aus. Id. VI, 11.
Et Crocus auricomans et murice pictus Adonis

Verg. Aen. III, 274.
Mox et Leucatae nimboso cacumina montis
Aus. Id. VI, 24.
Et de nimbosa saltum Leucate minatur

Verg. Aen. IX, 359.
Euryalus phaleras Rhamnetis et aurea bullis Cingula
Aus. Id. VI, 49.
Nubila et auratis fulgentia cingula bullis

Verg. Aen. II, 57.
Ecce manus iuvenem interea post terga revinctum
Verg. Aen. XI, 81.
Vinxerat et post terga manus, quos mitteret umbris
Aus. Id. VI, 60.
Devinctum post terga manus, substrictaque plantis

Verg. Georg. IV, 177.
Cecropias innatus apes amor urget habendi
Aus. Id. VII. ad eund. pict. de Biss. imag. 2.
Aemula Cecropias ars imitetur apes

Verg. Georg. I, 302.
Invitat genialis hiems curasque resolvit
Aus. Id. VIII, 19 (cf. Eclog. de mens. monost. 12.)
Et genialis hiems parta sibi dote fruatur

Verg. Aen. VII, 180.
Saturnusque senex Janique bifrontis imago
Aus. Id. IX, 5.
Anne pater rerum, quas Jani mense bifrontis

Verg. Aen. II, 236.
Subiciunt lapsus et stuppea vincula collo — Intendunt etc.
Aus. Mos. 42.
Intendunt collo malorum vincula nautae

Verg. Aen. II, 779. (neque)
Fas aut ille sinit superi regnator Olympi
Aus. Mos. 80. (neque)
Edere fas. Haud ille sinit, cui cura secundae

Verg. Georg. IV, 415 sq.
Haec aut et liquidum ambrosiae defundit odorem
Quo totum nati corpus perduxit.
Aus. Mos. 112. Cf. Mos. 136.
Lubrica caeruleus perducit tergora fucus

Verg. Georg. III, 423.
Cum medii nexus extremaeque agmina caudae
Solvontur

Aus. Mos. 138.
Laberis et longi vix corporis agmina solvis

Verg. Georg. I, 142.
Alta petens, pelagoque alias trahit umida lina

Aus. Mos. 243.
Hic medio procul amne trahens humentia lina

Verg. Aen. VIII, 712.
Pandentemque sinus et tota veste vocantem

Aus. Mos. 368.
Tota veste vocat: longum qui distulit amnem

Verg. Aen. VII, 14. (Cf. Georg. I, 294)
Arguto tenuis percurrit pectine telas

Aus. Mos. 397.
Pierides tenuique aptas subtegmine telas
Percurrent etc.

Verg. Georg. IV, 371.
Et gemina auratus taurino cornua vultu

Aus. Mos. 471.
Exseris auratum taurinae frontis honorem

Verg. Georg. II, 469.
Speluncae vivique lacus et frigida Tempe

Aus. Mos. 477.
Te fontes vivique lacus, te caerula noscent

Verg. Aen. XII, 139.
Diva deam, stagnis quae fluminibusque sonoris

Aus. Mos. 482.
Te stagnis ego caeruleis magnumque sonoris
Amnibus etc.

Verg. Aen. VI, 802.
Fixerit aeripedem cervam licet aut Erymanthi

Aus. Id. XI, 14. (Cf. Id. XIX, 4.)
Vincunt aeripedes ter terno Nestore cervi

Verg. Aen. III, 428.
Delphinum caudas utero commissa luporum

Aus. Id. XI, 83.
Scylla triplex, commissa tribus, cane, virgine, pisce

Verg. Georg I, 228.
Nec Pelusiacae curam aspernabere lentis

Aus. Id. XII, de cib. 9.
Et Pelusiaco de semine plana terens lens

Verg. Aen. VII, 517.
Sulpurea Nar albus aqua fontesque Velini
Aus. Id. XII, de diis 10.
Fluminibusque Italis praepollens sulfureus Nar
Verg. Aen. I, 224.
Dispiciens mare velivolum terrasque iacentes
Aus. Id. XII, de diis 12.
Velivolique maris constrator Leuconotos Libs
Verg. Georg III, 136.
Sit genitali arvo et sulcos oblimet inertis
Aus. Ecl. de rat. puerp. mat. 11.
Namque ubi conceptus genitali insederit alvo
Verg. Aen. I, 687.
Cum dabit amplexus atque oscula dulcia figet
Aus. Epist. II, 6.
Oscula et amplexus discreverat invidus amnis
Verg. Georg. II, 438.
Naryciaeque picis lucos, iuvat arva videre
Aus. Epist. IV. 20.
Pondera Naryciamque picem scissamque papyrum
Verg. Georg, IV. 337.
Caesariem effusae nitidam per candida colla
Aus. Epist. IV, 45.
Caesariem rutilam per candida colla refundis
Verg. Aen. VI, 398.
Quae contra breviter fata est Amphrysia vates
Aus. Epist. VII, 15.
Bisque viros numeres, qui fata Amphrysia servant
Verg. Aen. II, 477.
Armiger Automedon, una omnis Scyria pubes
Aus. Epist. XIV, 10.
Jam vates et non flagrifer Automedon
Verg. Ecl. X, 59.
. . . Libet Partho torquere Cydonia cornu — Spicula
Aus. Epist. XXI, 1.
Jambe Parthis et Cydonum spiculis
Verg. Aen. VI, 3.
Obvertunt pelago proras; tum dente tenaci
Aus. Epist. XXIV, 128.
Jamque in conspectu est; iam prora obvertitur amni
Verg. Ecl. I, 54.
Hyblaeis apibus florem depasta salicti
Aus. Epist. XXV, 12.
Hyblaeis apibus sepes depasta susurrat

Verg. Aen. IX, 667.
Dant sonitum flictu galeae, pugna aspera surgit
Aus. Epist. XXV, 20.
Cymbala dant flictu sonitum, dant pulpita saltu

Verg. Aen. X, 564.
Qui fuit Ausonidum et tacitis regnavit Amyclis
Aus. Epist. XXV, 26.
Tu velut Oebaliis habites taciturnus Amyclis

Verg. Georg. III, 550.
Phillyrides Chiron Amythaoniusque Melampus
Aus. Per. Odyss. XV. (pros.)
«Melampus Amythaonis erudivit.»

Hi fere sunt loci, in quibus Ausonius vel Vergilium imitatus est vel ad eum respexit vel verba eius descripsit. Atque etiamsi nobis confitendum est facile fieri potuisse, ut nonnulli nos fugerent, id quod in tanta verborum et sententiarum copia minime mirum est, tamen ex iis, quos attulimus, optime intellectum iri confidimus, quantopere et qua ratione Ausonius ad opera sua illustranda Vergilii carminibus usus sit[1]). Maiora argumenta vel similitudines, perpaucis exceptis[2]), poeta noster ex Vergilio non desumpsit neque magnus numerus eorum versuum exstat, in quibus sententiae Vergilianae vel res a Vergilio narratae ab Ausonio commemorantur, sed saepissime ab eo flosculi sermonis vel vocabula quaedam a Vergilio usurpata cum in aliis hexametri pedibus tum in initio et in fine versuum adhibita sunt. Quodsi consideramus Ausonium, cum puer Tolosae ab avunculo Aemilio Argicio Arborio, rhetore clarissimo, educatus esset, potissimum, qui erat illius temporis mos[3]), Vergilii carmina perlegisse et declamasse locosque pulcherrimos memoria didicisse, deinde Burdigalae cum discipulis per magnum temporis spatium eadem haec carmina usque tractasse, non mirum est, quod verba Vergilii ita in sucum et sanguinem eius transierunt, ut quoquo loco ei prompta essent. Itaque non putandum est Ausonium locos sibi ex illius poetae operibus excerpsisse, quibus poemata sua ornaret[4]),

---

[1]) Etiamsi nonnullos locos, quos ex Vergilio desumptos exposuimus, etiam apud alios poetas invenias, tamen, quia in Vergilio maxime Ausonium versatum fuisse docuimus, ad hunc poetam eum potissimum illis locis respexisse verisimile est.

[2]) Cf. pag. 24 et 25 huius dissert.

[3]) Kaufmann (v. Raumer's, hist. taschenb.) pag. 16.

[4]) Ad centonem nuptialem componendum sane eum hoc fecisse vix negare possimus.

sed in illis maxime versato, saepe id non agenti Ausonio sponte accidit, ut verba ipsius Vergilianis similia fierent atque cum maxime in iis hexametri pedibus, qui cum aut initium aut finem versuum facerent, facillime in memoria haererent.

Quae sententia maxime eo probatur, quod videmus Ausonii verba saepe modo simili sono ad Vergilii prope accedere[1]), et quod Ausonium celerrime poemata pleraque composuisse constat[2]).

Itaque cum sententiam aliquam dicere volebat, aliorum poetarum, qui similia dixerant, verba tam celeriter memoriae eius offerebantur, ut alia non quaereret, sed illis ipsis, quae praestantissima habere solitus erat, uteretur. Quae cum ita sint, mirum cuipiam videatur, quod Ausonius, quamquam tantam copiam carminum contexuerit, tamen non pluribus locis ad Vergilium respexerit, quam quos attulimus. Ad quod sic respondendum videtur: quia permulta poemata Ausonii et propter metrum et ob argumentum a Vergilianis nimis abhorruerunt et quia Ausonius etiam aliorum multorumque poetarum flosculis carmina sua coloravit[3]).

Denique ut cuique facillime appareat, quos potissimum libros Vergilii Ausonius imitatus sit, iterum omnes locos ordinem librorum Vergilii secuti enumerabimus. Quae enim poemata poetae nostri maxime sententiis vel verbis Vergilianis ornata sint, bene ex eo intellectum iri speramus, quod antea in singulis huius capitis particulis locos ad ordinem carminum Ausonii disposuimus.

Vergil.	Auson.
Eclog. I, 53 et 54.	Epist. XXV, 12.
III, 71.	Epist. XXIV, 17.
106.	Idyll. VI, 9.
V, 34.	Prof. XXIV, 11.
VI, 8.	Epigr. I, 13.
VI, 30. VIII, 44.	Mos. 157—59.
VI, 46.	Id. VI, 30.
66.	Epist. XX, 12.
VII, 17.	Mos. 206.
35.	Epigr. V, 1.
VIII, 7.	Epist. XVI. Praef.
, 107.	Epist. XXIV, 132.

[1]) Cf. pag. 36 h. diss. et imprimis Aus. Epist. VII, 15 cum Verg. Aen. VI, 398 et Aus. Clar. Urb. VIII, 1 cum Verg. Aen. III, 539.

[2]) De hac re optime disseruit Kaufmann l. l. p. 16—30. Cf. etiam Auson. Praef. ad Idyll. XI. etc.

[3]) Cf. Zingerle (zu spaet. lat. dichtern) pag. 32—44.

Vergil.	Auson.
IX, 47.	Ecl. de iisd. mens. 13.
53.	Idyll. IV, 52.
X, 59.	Epist. XXI, 1.
Georg. I, 10.	Mos. 177.
14.	Epist. IV, 19.
52.	Mos. 298.
71.	Mos. 332.
100.	Idyll. VIII, 8.
118.	Mos. 459.
142.	Mos. 243.
165.	Idyll. IV, 29.
207.	Epist. IX, 29.
208.	Ecl. de rat. libr. 31.
228.	Technop. de cib. 9.
230.	Idyll. VIII, 12.
294.	Mos. 397 et 98.
302.	Idyll. VIII, 19. Ecl. de iisd. mens. dist. 12.
423.	Epigr. 76, 5.
Georg. II, 37 sq.	Mos. 156.
103 et 4.	Mos. 77—79.
121.	Technop. de hist. 24.
173 et 74.	Mos. 381.
336.	Idyll. XVIII, 17.
438.	Epist. IV, 20.
469.	Mos. 477.
Georg. III, 89 et 90.	Epit. Her. XXXV, 10.
122. 473.	Mos. 438.
136.	Ecl. de rat. puerp. mat. 11.
186.	Praef. Lud. VII. Sap. 9.
187.	Par. V, 9.
208.	Praef. Lud. VII. Sap. 10.
279. 304.	Epist. XXIV, 102.
388.	Idyll. V, 5.
423 et 24.	Mos. 138.
536.	Epist. XXIV, 22.
550.	Per. Odyss. XV. extr.
Georg. IV, 111.	Epist. IX, 29.
119.	Idyll. XIV, 11.
177.	Idyll. VII. ad eund. pict. 2.
337.	Epist. IV, 45.
371.	Mos. 471.
373.	Mos. 467.
415 et 16.	Mos. 136; Mos. 112.

Vergil.	Auson.
Georg. IV, 461 sq.	Mos. 157—59.
524.	Mos. 99.
564.	Mos. 392.
Aen. I, 1.	Epigr. 137, 1.
11.	Epit. Her. XXVII, 9.
14.	Epigr. 134, 1.
33.	Clar. Urb. XIII, 15.
94.	Idyll. VIII, 51.
224.	Technop. de diis 12.
234.	Epist. XXIV, 4.
265.	Temp. imp. XII. Caes. 8.
324.	Epist. IV, 30.
367.	Clar. Urb. II, 13.
397.	Idyll. VI, 46.
520.	Prof. XIV, 7.
678.	Epist. XXIV, 119.
687.	Epist. II, 6.
Aen. II, 1.	Per. Odyss. XIII, 1.
22.	Prof. XVI, 15.
27.	Epist. XXII, 3 sq.
57.	Idyll. VI, 60.
90.	Epit. Her. XII, 4.
123.	Epist. I, 37.
236.	Mos. 42.
331.	Per. Il. XX, 2.
336.	Clar. Urb. II, 11.
449.	Idyll. VI, 37.
477.	Epist. XIV, 10.
557 sq.	Epit. Her. XXIII, 3 sq.
605.	Idyll. VI, 48.
777.	Per. Il. VI, 1.
779.	Mos. 80.
782.	Mos. 245.
Aen. III, 13—62.	Epit. Her. XIX, 1—6.
35.	Epigr. I, 7.
94.	Prof. XII, 3.
196.	Mos. 146.
274.	Idyll. VI, 24.
331.	Epit. Her. IX, 3.
390.	Epist. VII, 16.
428.	Idyll. XI, 83.
442.	Mos. 216.
483.	Epigr. 36, 1.
505.	Idyll. IV, 19.
539.	Clar. Urb. VIII. 1.
Aen. IV, 13.	Idyll. IV, 26.

Vergil.	Auson.
Aen. IV, 17.	Par. IX, 7.
129.	Per. Il. XIX, 1.
163.	Epist. VII, 13.
212.	Epist. IV, 4.
215.	Technop. de hist. 22.
229.	Epigr. IV, 4.
248 et 49.	Idyll. IV, 21.
302.	Idyll. XI, 35.
415.	Epigr. 71, 8.
457.	Clar. Urb. XIII, 14.
480.	Epist. IV, 5.
511.	Idyll. XI, 18.
519.	Par. IV, 17.
584.	Per. Il. XI, 2.
585.	Per. Il. XI, 1.
682.	Mos. 409.
Aen. V, 53.	Praef. Par. 6.
56.	Per. Il. VI, 1.
288. 664.	Clar. Urb. V, 5.
320.	Epist. IX, 26.
560.	Idyll. XI, 80.
809.	Epit. Her. XVIII, 1.
Aen. VI, 3.	Epist. XXIV, 128.
32 et 33.	Mos. 301 et 2.
69.	Clar. Urb. XIII, 14.
88.	Epist. XXII, 4.
140.	Epist. X, 27.
270.	Idyll. VI, 5.
276.	Idyll. XV, 4.
283—86. 893—96.	Ephem. ext. 22—26.
325.	Mos. 4.
327.	Mos. 349.
368.	Per. Il. VI, 1.
398.	Epist. VII, 15.
443.	Idyll. VI, 2.
448 et 49.	Idyll. VI, 20.
451.	Idyll. VI, 5.
494 sq. 511 sq.	Epit. Her. XIII, 1—2.
505 et 6.	Prof. XXV, 6. Praef. Par. 10.
628.	Per. Il. VII, 1.
640.	Mos. 12.
802.	Idyll. XI, 14. Idyll. XIX, 4.
841.	Prof. XIX, 1.
851.	Praef. ad Theod. 21.

Vergil.	Auson.
Aen. VI, 859.	Technop. de hist. 15.
887.	Idyll. VI, 1.
898.	Idyll. VI, 103.
Aen. VII, 14.	Mos. 397.
26.	Per. Il. VIII, 1.
180.	Idyll. IX, 5.
323. 471.	Per. Il. VII, 1.
326.	Idyll. XV, 14.
382.	Mos. 205.
437.	Epist. XXIV, 123.
517.	Technop. de diis 10.
578.	Idyll. VI, 82.
Aen. VIII, 43.	Epist. VII, 16.
63.	Mos. 460.
77.	Mos. 469.
97.	Mos. 178.
116.	Clar. Urb. X, 3.
409.	Par. XII, 5.
541.	Per. Il. VII, 1.
582.	Epist. XXIV, 123.
712.	Mos. 368.
727.	Mos. 437.
Aen. IX, 176 sq.	Epist. XXIV, 35.
359.	Idyll. VI, 49.
435 sq.	Par. XXIII, 15.
614.	Idyll. VI, 11.
667.	Epist. XXV, 20.
710 et 11.	Epist. IX, 30.
Aen. X, 64.	Par. IX, 9.
146.	Mos. 304.
269.	Clar. Urb. XIV, 19.
362.	Mos. 466.
501 et 2.	Clar. Urb. VI, 3 et 4.
507.	Par. IX, 24.
547.	Epist. XXIV, 51.
564.	Epist. XXV, 26.
603.	Prof. V, 9.
750.	Par. XXI, 7.
Aen. XI, 62 et 63.	Par. XVI, 11.
81.	Idyll. VI, 60.
183.	Per. Il. XI, 2.
187.	Mos. 15.
246.	Epit. Her. VI, 3.
337.	Idyll. VI, 82.
524.	Per. Odyss. XIV, 1.

Vergil.	Auson.
Aen. XI, 583 et 84.	Par. XXVI, 3. 4.
701.	Technop. de hist. 23.
Aen. XII, 68 et 69.	Id. VII. ad pict. 5 sq.
139 et 40.	Mos. 482 et 83.
254.	Idyll. VI, 54.
469.	Epist. XIV, 16.
476.	Idyll. VI, 48.
749 sq.	Epist. IV, 28 sq.
879 et 80.	Idyll. XIV, 20 et 21.

Tertiam dissertationis particulam, in qua exposuimus, qua ratione quibusque verbis Ausonius hexametros finiverit, occasione data mox in medium nos prolaturos esse speramus.



Vita.

Hermannns Speck, fidei evangelicae addictus, natus sum Olsnae die XI. mensis Augusti a. h. s. XLIX patre Guilelmo, matre Bertha, e gente Schaer. Patrem ante hos XX. annos praematura morte mihi ereptum lugeo, matre adhuc superstite gaudeo. Primis litterarum elementis in ludo publico imbutus decimo aetatis anno patriae urbis gymnasium adii, quod tum Silbero deinde Hessio rectore florebat. Novem annis post cum maturitatis testimonio dimissus in Universitatem litterarum Viadrinam me contuli praecipue philologiae operam daturus. Sed quominus primis semestribus assidue ad haec studia incumberem, militia non semel impeditus sum. Cum enim stipendia annua meruissem, brevi tempore post anno h. s. LXX iterum arma gessi et signa nostra in Galliam secutus sum. Unde in proelio apud oppidum le Mans commisso vulneratus mense Februario insequentis anni in patriam redii et cum convaluissem, ad studia diu intermissa rursus me converti. Scholis interfui VV. Ill. Baumgart, Blümner, Braniss, Dilthey, Hertz, Junkmann, Karow, Neumann, Reifferscheid, Rossbach, Rückert, Stenzler, Zupitza. Per quattuor semestria proseminarii et seminarii reg. philol. sodalis eram, quod regebant VV. Ill. Hertz, Reifferscheid, Rossbach, quorum ex disciplina et consilio summum me cepisse fructum grato confiteor animo.

Benignitate Caroli Fickert v. d., quo rectore gymnasium huius urbis Elisabetanum floret, mihi contigit, ut per tria semestria praeceptoris vicibus ibi fungerer.

Omnibus his viris de me optime meritis gratias quam maximas ago semperque me habiturum esse promitto.

Theses.

1. Auson. Mos. v. 68 sic legendum censeo:
Tota Caledoniis tali est specie ora Britannis.

2. Auson. Mos. v. 230 sic mutandum puto:
Sicuti compositos ostentatura capillos.

3. Ammian. Marcell. XIV, 2, 13 sic scripserim:
Circumstetere igitur hoc munimentum per triduum et trinoctium, et cum neque adclivitas ipsa sine discrimine adiri letali, nec cuniculis quicquam geri posset, nec procederet ullum obsidionale commentum, maesti excedunt postrema vi subigente maiora viribus adgressi.

4. Ammian. Marcell. XIV, 4, 1 sic lego:
Saraceni tamen nec amici nobis unquam nec hostes optandi, ultro citroque discursantes quicquid inveniri poterat, momento temporis parvi vastabant milvorum rapacium similes, qui si praedam dispexerint celsius, volatu rapiunt celeri et si impetraverint, non inmorantur.

5. Senec. Controv. I, 1, 8 sic mutaverim:
Venit immissa barba capilloque deformi, non senectute sed fame membris trementibus, summissa et tenui atque elisa ieiunio voce, ut vix exaudiri posset, introrsus conditos oculos vix allevans: alui.

6. Cum Hultgrenio (Annal. Philol. 1873 I. p. 745—72) usum poetarum Latinorum ab oratione pedestri abhorrentem multis locis ad difficultates metris oblatas referendum arbitror.

7. Eadem ratione, qua Du Bois-Reymond (über die grenzen des naturerkennens. Leipzig 1872) nego ex atomorum motu ullam speciem conscientiae explicari posse.
